
BL. NAZ.
ELE III
APOLI

SYNODVS
EMINENTISSIMI DOMINI
CARDINALIS
MONTALTO.

CONSTITVTIONES,
ET DECRETA SYNODALIA
DIOECESIS MONTIS REGALIS
EX SYNODO PROMVLGATA
ANNO M. DC. LII.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. FRANCISCO PERETTO

TITVLI SANCTI HIEROMYMI ILLYRICORVM
PRESBYTERO CARDINALI MONTALTO
Archiepiſcopo, & Abbate Eccleſiæ Montis
Regalis, eiuſdemq; Ciuitatis, vniuerſiq;
STATVS DOMINO.

Ex D.m Severini, et Sapij de Neapoli




MONTE REGALI,

Ex Typogr. Petri de Iſola Impreſ. Camer. 1653.

Impr. Abbas Geloſus V.G. Impr. R.D. Petrus de Greg. P.







IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

OS Franciſcus Perettus S.R.E. Tituli Sãcti Hieronymi Illyricorũ Presbyter Cardinalis Montaltus Dei,& Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus, & Abbas Montis Regalis,eiuſdẽq,Ciuitatis, & Status Dominus.Quod Præpotenti Deo, Beatæq; Mariæ ſemper Virgini laudi, honoriq; ſit, poſt habitã per Nos,noſtroſq,Viſitatores, & huius ciuitatis, & totius diœceſis visitationẽ, ad collapsã cleri, populiq; Chriſtiani curæ noſtræ concrediti diſciplinã reſtituendã, animarumq; ſalutẽ, quãtum in nobis eſt, procurandã, hæc ex ſynodo,iuxta Sanctorũ Patrũ, & ſacroſancti Cõcilij Tridentini decreta, acta decernimus.

CAPVT



SESSIONIS PRIMAE.

CAP. I.

De Fide Catholica.

CVM fides noſtra ſalutis initium, & radix ſit totius iuſtificationis, non immeritò Eccleſiæ Catholicæ fundamentum illam appellauit Apoſtolus. Et licet inter Theologicas virtutes non ſit dignitate prima, eſt tamen natura ipſa Princeps, & Caput, vt non immeritò ab illa, eiuſdemque profeſſione Diœceſanæ huius Synodi, & Synodalium noſtrarum Conſtitutionum initium ducere operepretium exiſtimemus.

(✠)

CAP. II.

De Fidei professione.

QVibus Curata Beneficia, Dignitates, & Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus collata sunt, meminerint omnes, quod si à die aditę possessionis duobus elapsis mensibus apud Archiepiscopum, vel eo impedito coram eius Generali Vicario, atque etiam in Capitulo, si Dignitates, Canonicatusque sint, professionem fidei non emiserint, nec eis possessio suffragatur, quemadmodum Sacro Concilio Tridentino cautum est.

Sacri itaque Tridentini Concilij Decretis, atque ijs etiam, quæ aliàs à prædecessoribus nostris in alijs Diœcesanis Synodis sancita sunt, inhærentes, mandamus, vt quot quot hic adsunt Beneficia Ecclesiastica obtinentes, qui aliàs in nulla ex Synodis prædictis Orthodoxæ fidei suæ professionem publicam fecerint, id modò præstent ad formam ex præscripto fel. record. Pij Papæ Quarti.

Illam insuper emittere teneantur quicumque ad prædicandi munus approbati, vel ad grammaticam, aliasque bonas artes docendas admissi fuerint. Volumus autem, vt quotquot ex quacumque causa Catholicam fidem professi fuerint à Curiæ nostræ Spiritualis Cancellario in peculiari libro nominatim suo ordine referantur.

Formula professionis Fidei.

EGo N. firma fide Credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, consubstantialem Patri per quē omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: Et incarnatus de Spiritu Sancto

ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxtà vnanimem consensum, Patrum accipiam,

piam,

piam, & interpretabor.

Profiteor quoq; septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à *Iesu Christo* Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, *Pœnitentiam*, Extremã Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quę de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, declarataque fuerunt amplector, & accipio.

Profiteor pariter in missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiæ *Sacramento* esse verè realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri *Iesu Christi*, fierique conuersionem

to-

totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat, fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: ſimiliter, & ſanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas: firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cæ-

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extrà quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdemque integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adiuuante) retineri, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

CAP.

CAP. III.

De fidei professione iuxta Ritum Græcum emittenda.

CVm per pauci non sint in nostra hac Diœcesi, qui iuxtà Ritum Græcum viuentes præcipuam nostri muneris sollicitudinem sibi vendicant: ne partibus nostris abesse videamur præscriptam à Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum sanctionibus formulam professionis fidei à Græcis, qui cum Romana Ecclesia consentiunt vsurpandam, prout Gregorius xiii. Constituit, hic subijcere necessarium omninò existimauimus.

Formula professionis Fidei a Græcis vsurpanda ex Constitutione Gregorij xiij.

EGo N.N. firma fide credò, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet, Credo in vnum Deum Pa-

Patrem omnipotentem, factorẽ Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi Amen.

Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quæ sacra oecumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ definiuit, & declarauit, videlicet, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit. Cum id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut, & Patrem. Cumque omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito Filio suo gignendo dederit præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum (Filioque) explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item

Item in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet, iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas: & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdē exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali

peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Item ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſię Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodũ etiam in actis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

Inſuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis Sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, etiam vltra contenta in ſupradicto fidei Symbolo, profitenda, ac recipienda propoſuit, atq; præſcripſit, vt ſequitur.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdẽ Eccleſię obſeruationes, & cõſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum,

sum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarũ scripturarum, admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoq; septem esse vere, & proprie Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionẽ, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari nõ posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verũ, proprium, & propitiatoriũ sacrificiũ pro viuis, & defunctis, atq; in SS. Eucharistiæ sacramento

mento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & sanctos vna cum Christo regnãtes venerandos, atque inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

San-

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco; Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac pręcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quã nemo saluus fieri potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsq; ad extremũ vitę spiritum, constantissime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atq; à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munerę meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N.N. spondeo, voueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

CAP.

CAP. IV.

De Parochorum cura pro Fidei rudimentis.

QVoniam fidelium ſalus in primis ex cognitione rudimentorum Chriſtianæ fidei dependet, ſtudebunt Parochi omnes, vt ſingulis ſaltem Dominicis, feſtiſquè diebus campanæ ſigno populus, puerique præſertim in Eccleſiam conuocentur, pieque, ac diligenter Sacroſanctæ Fidei rudimentis inſtituantur. Et quia ſummopere exoptamus nullas tam ſalutaris officij partes deſiderari, volumus, vt omnes confeſſarij, ſiuè ſeculares, ſiuè regulares rudium adultorum confeſſiones excipientes in illos præcipuè animaduertant, qui orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, ſymbolum fidei, & decem decalogi præcepta non tenent. Quod ſi patres, & matres familias offenderint, qui ſuorum domeſticorum curam non habeant, illos grauiter moneant, ne prætermiſſi muneris in extremo iudicio arguantur, idemquè frequentiſſimè præcipimus concionatoribus

ad

ad circumfusam multitudinem inculcari.

Quicumque sunt ludi magistri intelligant pueros non solum litteras, sed prima etiam fidei rudimenta docendos, ac bonis artibus imbuẽdos, vt ex decreto Concilij Lateranẽsis sub Leone X. sessione 9. habetur: his itaq; in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt id prçstare non negligant, & frequenter libellum doctrinæ christianæ ab Eminentiss. Cardinali Belarmino iussu Clementis VIII. editum prç manibus habeant, & pueris commendent.

Qui hospitalibus alijsq; pijs locis prçsunt hanc fidei rudimentorum eruditionem, tum pro infirmis, tum pro alijs omnibus eorum curæ commissis nullo modo negligere debent.

Quibusuis in locis nostræ diœcesis fieri commodè poterit, quod & diu exoptauimus, ibi Præpositi ecclesiarum, vel Parochi doctrinæ christianæ sodalitates ex viris, mulieribusque ad huiusmodi curam onusquè suscipiendum idoneis, moribusque, & vita, ætateque probatis instituant, ad eamque rem ecclesias desi-

gnabunt, vbi singulis diebus Dominicis, alijsque festis, à prandio stata hora ad pueros, aliosquè rudes omnes instituendos conueniant. Et quò acrius huiusmodi sodales ad tam vtilis, necessarijquè exercitationem inflammentur, crebrò indulgentias à Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. concessas, nec non & centum dierum à Nobis additas inculcabunt. Enixeque Parochos Diœcesis rogamus, vt regulas, & decreta, quæ pro huiusmodi sodalitate in nostra Metropolitana erecta approbauimus, videant, ijsdemque ad nouas in suis Ecclesijs instituendas vtantur.

Denique meminerint Parochi, quod cum & ipsis ex Tridentinæ Synodi præscripto prædicationis onus incumbat, populum sibi creditum Dominicis omnibus, ac festis alijs diebus pro suo, & illius captu salutari doctrina erudire ne omittant, aliaque præcipuè explicatione Euangelij, vel Epistolæ habita, ea potissimum doceant, quæ ad Christianos mores, vitamque rectè instituendam facile conducunt. Quibus pascuis illectæ, & suum oues sequuntur Pastorem, & suas Pastor opti-

timus oues agnoſcet, & frequentior habebitur in Eccleſijs Parochialibus fidelium concurſu s,quod Patribus Sacri Concil. Trident. adeò probatum nouimus.

CAPVT. V.

De Hæreticis, & factioſis hominibus.

VT procul à commiſſo nobis grege omnis vitiorũ turba, præcipuè, peſtilentium, arceatur, ſeduló inuigilent Parochi ſuas Paræcias perluſtrantes, ne in illis aliquis degat, vel blaſphemãdi cõſuetudine notatus, vel de vſurarijs contractibus ſuſpectus, vel publicus Adulter, vel Concubinarius, vel inteſtinis odijs diſſidens, quod ſi aliquem iſtiuſmodi criminibus infectum deprehendant, benignè quidem primò, ac peramanter moneant, vt non tam fratrem, quam filium lucrentur. Paterna verò correctione præhabita, ſi obſtinato animo in deteſtabili ſuorum

criminum coeno perseueret, ne pupilli scandalizentur, Archiepiscopum, vel Vicarium eius Generalem, vel, si per tempus nõ liceat, Vicarios foraneos adeant, qui huiusmodi homines animaduertere possint, si tamen hęreticales blasphemias proferentes, vel sortilegia, veneficia, & incantationes quomodolibet sectantes inuenerint, nulla monitione præhabita Nobis, vel sacris Inquisitoribus denuncient: perpetua verò vigilantia obseruabunt, ne aliquis aliqua hæresi infectus, vel de hæresi suspectus in gregem sub ouina pelle latitans irrepat, neuè libros hæreticorum legat, aut apud se retineat. Tantis verò criminibus obnoxium statim Nobis, vel nostro Vicario Generali, vel sacris Inquisitoribus denunciabunt.

Ne Cingari veluti oues pastorum auxilio destitutę procul à salutis via aberrãtes in nostra diœcesi vagentur, parochi, in quorum parochijs isti viuent, accuratè obseruent, ne quid à christianæ religionis institutis alienum faciant, proximosq; Christi fideles, vel decipiãt, vel offendant, dentq; operam Parochi, vt eos ad christianæ doctrinæ rudimenta discen-

scenda perducant, & vt eorum matrimonia ritè, atque ordine celebrentur omni cura prouideant.

Damnatæ deniq; vitæ mulieres, vt à turpi quæstu resipiscant, quà ex hortationibus, quà intentatis diuini iudicij pœnis hortari non desistant; surgentes è cœno libidinis adiuuēt eleemosynis, vt perseuerent, Nosque sedulo moneant, vt & nostris largitionibus illis opitulari possimus.

CAPVT. VI.

De diebus festis, eorumquè cultu.

QVemadmodum festorum dierum cultum neminem esse arbitramur, qui ne sciat Iuris esse diuini, ita omnes credimus intelligere singulari pietatis studio celebrari eos à fidelibus oportere, quos dies festos agi Romana sanxit Ecclesia, eorum omnium cultum sine vlla exceptione præcipimus, & ne quis detur dubitandi locus, iuxta Vrbani Octaui constitutionem catalogum omnium festorum, & vigiliarum, quæ in nostra diœcesi seruari debēt, excipi curauimus, estque huiusmodi.

PER-



PERPETVA FESTORVM *dierum Tabula, & vigiliarum, quæ sub præcepto seruari debent in Diœcesi Montis Regalis ex decreto*

VRBANI PAPAE VIII.

edito 13. Septembris. 1642.

Omnes dies Dominici totius Anni.

Mense Ianuario.

1 FEstum Circumcisionis D.N.I. Chr.
6 Epiphania Domini.

Mense Februario.

2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
23 Vigilia Sancti Matthiæ Apostoli.
24 Matthiæ Apostoli in anno verò Bisestili die 25.

Mense Martio.

19 S. Ioseph. Confessoris Sponsi B. M. V.
25 Annunciatio B.M.V.

Men e Aprili.

Mense

Mense Maio.

1 Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi.

3 Inuentionis Sanctæ Crucis.

Mense Iunio.

23 Vigilia Natiuitatis S. Io. Bapt.

24 Natiuitas Sancti Ioannis Baptistæ

28 Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

29 Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorũ.

Mense Iulio.

24 Vigilia Sancti Iacobi

25 Sancti Iacobi Apostoli

26 S. Annæ Matris B.M. V.

Mense Augusto.

9 Vigilia Sancti Laurentij

10 S. Laurentij Martyris

14 Vigilia B.M.V.

15 Assumptio B.M.V.

23 Vigilia Sancti Bartholomei

Mense

Mense Septembri.

8 Natiuitas B.M.V.
20 Vigilia Sancti Matthæi
21 Sancti Matthæi Apostoli Euangelistæ
29 Dedicatio sancti Michaelis Archãgeli

Mense Octobri.

27 Vigilia
28 SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum
31 Vigilia

Mense Nouembri.

1 Omnium Sanctorum
29 Vigilia
30 Sancti Andreæ Apostoli

Mense Decembri.

7 Vigilia ex Voto totius Regni
8 Conceptio Beatę Marię Virginis, quam pro toto Regno in præcipuam Patronam pietas Illustr. & Exc. Domini admirantis Castellæ tunc Vice Regis adsciuit per litteras datas Messanę die 23. Februarij 1643.
20 Vigilia
21 Thomæ Apostoli

24 Vi-

24 Vigilia.
25 Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi
26 Sancti Stephani Protomartyris
27 S. Ioannis Apostoli,& Euangelistæ
28 Sanctorum Innocentium Martyrum
31 Sancti Siluestri Papæ Confessoris.

Festa Mobilia.

Paschatis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, cum duobus sequẽtibus diebus.
Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Solemnitas Sanct. Corporis. D. N. Iesu Christi.

Preterea cũ in hac ciuitate nostra, tũ in ciuitate Corilionis & quibuscũq; alijs terris, oppidis, & locis diœcesis erit seruandũ sub præcepto festũ Patroni vnius, quẽ sibi prę ceteris incolæ vniuscuiusq; loci delegerint iuxta cõstitutionẽ Vrbani, qui solũ vnũ festũ cõcedit Patroni vrbis, vel loci, & aliud Patroni regni.

Ergo diebus his, quos festos agere Ecclesia nostra cõsueuit, nihil laboris, aut operis suscipiatur, quod illiberale videri possit. Omnesq; statutũ sciãt, quidquid spatij à dimidio noctis ad alterũ dimidiũ proximè insequẽtis est interiectũ, id totũ diei festi nomine cõtineri. Vn

de quisquis hoc tẽpore aliquod seruile opus tractauerit, ijs exceptis, quę iura licere voluerũt, is, & diem festum à se violatum, & mortalem culpam sibi cõtractam esse intelligat.

Quãdo autẽ in casibus à iure permissis labor aliquis, cogẽte necessitate, suscipiẽdus sit, nisi obtẽta prius à Nostro Vicario Generali, vel Vicarijs foraneis licentia, nõ suscipiatur; licetias verò huiusmodi in scriptis, & gratis omnino concedendas præcipimus, iuxta canonum decreta; quod si secus fecerint, pœnas nostro arbitrio infligendas incurrent.

CAPVT VII.

De Verbi Dei Prædicatione.

VT sẽper sint homines delecti, atq; probatæ vitæ, & doctrinę, qui populũ diuini verbi pabulo alãt, omnes ecclesiarũ Rectores curare debent, nisi ijdẽ Parochi, quibus ex sacri conc. Triden. decretis potissimum id oneris incũbit, huic muneri satisfacere velint. Et quia maximã habet vim, ad morũ correctionẽ, & fideliũ animas in via salutis dirigere, euãgelica prædicatio; vt quę in huius muneris exequutione cauẽda sũt, quantũ ad pastoralem nostram curam attinet, apposité decernimus, & dicimus.

Ne

Ne quis ex cōcionatoribus, siuè regularis ille sit, siuè sæcularis, verbū Dei publicè prędicare præsumat, qui corā Nobis, vel nostro Generali Vicario se nō præsētauerit; & regularis quidem, si in aliena ecclesia sit concionaturus, nostro examini, sicuti cæteri omnes, se sistat: omnesque, tam regularis corā suo Superiore, quàm sæcularis corā nostro Vicario Generali professionē fidei, antequā ad exercitium sui muneris accedant, emittent.

Illud cōcionatores maximè abhorreāt, ne historiarū apochrypharū narratione, & ridiculis poetarū fabellis, atq; futili, & inani, verbosaq; eloquentia populū detineāt, quin imò sāctorū exemplis, & sacrę scripturę testimonijs, atq; sāctorū Patrū sētētijs, studiosè delectis, efficaciq; inde deducta argumentorū vi, populos ad omnimodā pietatē inflamment, præcipuè verò, ad *Pœnitētiæ*, & *Eucharistiæ* frequentiam excitent, ad saluberrimos illos gratiæ sanctificantis fontes sedulò inuitent.

Nocturnas cōciones fieri omninò prohibemus, & quidem regularibus, sub pœna suspensionis à concionandi munere, & interdicti eorum ecclesijs, sæcularibus verò, sub eadem pœna suspensionis statim incurren-

da, & alijs nostro arbitrio reseruatis.

Nemo indulgentias publicare audeat, nisi prius tũ à magistratu Sanctissimæ Cruciatæ, tũ à Nobis fuerint recognitæ, & approbatæ.

Deniq; vt nullus omninò pateat scandalis animarũ locus, curẽt ecclesiarũ Rectores, vt fœminç ad cõcionẽ cõfluẽtes, à viris ita separẽtur & circũseptæ sint, vt nullus earũ, neq; adstantibus viris, permittatur aspectus.

CAPVT VIII.

De sacris imaginibus & earum cultu, & veneratione.

IN sacris imaginibus, vel iam depictis, aut pingendis imposterũ ea ad vnguẽ seruari volumus, quæ sũt sacri conc. Triden. sanctione decreta, & Vrbani Octaui de cõsẽsu Cardinaliũ Sacræ Rituũ congregationis, cui & Nos interfuimus, constitutione peculiari ad abusum tollendum, qui irrepserat, firmata.

Nemo igitur imagines D.N.I. C. & Deiparæ semper Virginis, ac Angelorũ, Apostolorũ, & aliorũ quorũcũq; sanctorũ, sculpere, aut pingere, vel sculptas, & pictas affixas tenere, & publico aspectui exponere alio habi-

tu

tu vestitas, quam ecclesia catholica cõsueuit, vestire præsumat, quod si tales extiterint, & si in ecclesijs exemptis, reformentur, vel omnino deleantur, ne erroris materiam rudibus ministrent, sed sacrarũ imaginũ habitus, status, ornatus, sanctitati, dignitatiq; eorũ quorũ imagines sunt, ita decorè, congruenterque respondeant, vt solo illarũ aspectu ad pietatem fideles excitentur. Nullo tamen modo huiusmodi imagines loco sordido, & lutulento, vel humori, fenestris, stillicidijs, pluuijsq; obnoxio affigantur, vel pingantur. Nihil omninò in ecclesijs videatur profanũ, nihil ab ecclesiastica traditione abhorrens, apocryphũ, superstitiosũ, turpe, obscænũ, inhonestum, quoquo modo fidelium mentes offendens.

Immo & ipsis pictoribus, & sculptoribus omnino vetamus, ne vel venalia exponant turpia, obscæna, & inhonesta, sub pœna confiscationis imaginum, vel statuarum, carceris, alijsque nostro arbitrio reseruatis.

Nullus ex mimis, histrionibus, vel etiam academicis, fabulosam vllam scriptionem recitare vel publicè, vel priuatim, nisi à Nobis, vel nostro Vicario Generali prius, & reuisa fuerit, & approbata, clericis verò in scenis

age-

agere omninò interdicimus, sub pœna suspēsionis ab habitu clericali, alijsq; ad arbitrium: repræsentationes etiā spiritualium, & sacrarum historiarum, quia multa vidimus inde exorta incommoda, fieri prohibemus.

CAPVT IX.

De blasphemis, eorumque pœnis.

EXecrabile blasphemiæ scelus, quantùm in Domino possumus, ex nostra hac diœcesi eradicare cupientes, blasphemos omnes, pro blasphemiæ emissæ, ac personarum qualitate, vltra pœnas à sacris concilijs, præcipuè Lateranensis sub Leone X. & à Summis Pontificibus innouatas, & decretas, præsertim Gregorio IX. & Pio V. aduersus huiusmodi nefarium hominum genus, grauiùs etiam à Nobis puniendos declaramus.

Meminerint omnes indulgentiā decē annorū cōcessā à Leone X. his, qui blasphemos deferent, hortamurque omnes, ne participes vnquam tanti sceleris inueniantur; vt quos nouerint deperditæ vitæ, & linguæ sacrilegæ homines, vel Nobis, vel Apostolicis Inquisitoribus denuncient, vt puniri pro delicti grauitate possint; quod & Parochis omnibus

com-

commendatum volumus.

Confessarij, si quem audient blasphemandi consuetudine irretitum, acriùs illũ obiurgare, & seuera pœnitentia castigare ne omittant; quod & cum his, qui Dœmonem sanctũ appellare consueuerunt, obseruabunt, quos etiam arbitrarijs pœnis puniri volumus.

CAPVT X.

De Editione, & vsu librorum.

SAncta Tridẽtina Synodus desiderio flagrãs occurrẽdi perniciosissimę falsorũ librorũ pesti decreuit, vt libri imprimendi ab Ordinario ante impressionẽ examinentur, & approbentur; quod si auctores regulares erũt, vltra dictũ examen, à suis superioribus licentiã impetrare teneantur.

Nos itaq; omnibus, qui venales in nostra dicecesi habent libros, pręcipimus, ne eos vllo modo exponãt, nisi cõfecto suorũ librorũ indice Nobis præsẽtato, & facultate in scriptis obtẽta. Impressores autẽ nullo modo deinceps quidquã imprimãt, vel imprimi faciãt siuè libros, siuè theoremata, siuè historias, siuè opuscula, siuè alios cuiusuis generis libellos sine nostra, vel V.G. licẽtia, quę in fronte

ta-

tâlis operis præmittatur:illos verò libros,qui damnatæ ſunt lectionis, vel ab Inquiſitoribus edicto,ac indice vetiti,legendos, ac detinẽdos prohibemus. Si quẽ ergo aliquis fidelis publicè vendendos libros exponentẽ, vel circumferentem viderit, & aliquid ab Indice Tridentino,vel à Sancta Inquiſitione alienũ deprehenderit,id ſtatim Archiepiſcopo, vel Inquiſitoribus,aut V.G.denunciet.

CAPVT XI.

De Infidelium conſortio vitando.

Fideli cum infideli nulla poteſt eſſe vtilis,& fructuoſa ſocietas, ideo Chriſtiani neque eadem cum infidelibus domo, menſa: uè vtãtur, neque vllo modo familiarem cum ipſis conſuetudinem,& cõmercium habeant: ſi quis verò ex fidelibus (quod abſit) infidelem mulierem cognouerit, tantique criminis reus in iudicio deprehendatur,à fidelium communione ſeparatus, iuxta Canones puniatur: & ne vllus ſacrarum cæremoniarum ſit ab infidelibus contemptus,nullus illis pateat in noſtras eccleſias aditus;quod ſi ſponte acceſſerint,& moniti foras exire recuſauerint, à noſtris miniſtris vi expellantur, & pu-

publicè virgis cædantur.

Nemo cuiuscumque sit dignitatis, infideles huiusmodi, ad nostras ecclesias, & celebritates sacras ducat, ne scandalo sint Christi fidelibus, eorumq; pietatem, sua temeritate, & perfidia cõturbent, qui secus fecerit à custode ecclesiæ admonitus, præter diuinam indignationem, sciat se grauissima excomunicationis censura puniendum.

Deniq; argenteos calices, imagines, & ecclesiastica quæcũq; bona, siuè immobilia, siuè mobilia sint, neq; venditione, neq; pignore, neq; locatione, infidelibus quisquam credere presumat, nam in ecclesiæ ludibrium, & ecclesiasticarum rerum contumeliã, cederet.

CAPVT. XII.

De Veneficis, & Sortilegis.

IN hac diœcesi nostra, quemquam esse adeò diabolica fraude deceptum, vt Sortilegia, Diuinationes, aut magicas, siuè Necromanticas artes exerceat, persuadere Nobis non possumus: sed quia nefarius

ille christiani generis præcipuè hostis acerri mus,quà fraude,quà dolis,quà curiosis deceptionibus,insidiari non desinit, ideo omnibus districtè mandamus,vt de huiusmodi exercitio & arte suspectos homines,siuè mulieres ad Nos,vel nostrum Vicarium Generalem deferant,vt seuerius corrigantur;quod si sacerdos aliquis sublimioris sui status, & dignitatis oblitus, rebus sacris ad magicas artes vsus fuerit, nouerit grauiores omnino pœnas se daturum.

Exorcista nullus ad exorcizādos obsessos à dæmone accedat, nisi prius coram nostro Vicario Generali,ab examinatoribus nostris fuerit approbatus,neque illis exorcismis,nisi ab ecclesia approbatis vtatur, neque in priuatis ædibus,sed solum in ecclesia,vbi Christi Corpus asseruatur,ministerium suum peragat, quod si persona obsessa grauiter ægrotet, vel sit nobilis,ipsius domum non adeat, nisi obtenta prius à Nobis facultate, qua tamen vti non poterit, nisi coram viris honestis, vel infirmo cognatione proximis exorcizet,si exorcizās sacerdos fuerit cuiuscumq; status,& conditionis sit;non nisi superpelli-

ceo, & ftola violacea indutus, si vero clericus, cum solo superpelliceo curam aggrediatur, formamq; seruet in Rituali Pauli V. fel. record. iussu edito præscriptam, & à curiosis, & vanis interrogationibus caueat, nullusque laicus tali se muneri immiscere sub pœna excommunicationis audeat.

CAPVT XIII.

De Sacrosanctis Reliquijs, & miraculorum approbatione.

RELiquijs sanctorum, quorum corpora templum fuere spiritus sancti, debitum vbique honorem non impertiri, impium omnino est, & contra sacri concilij Tridentini decreta, quare ne vlla vnquã imperitæ multitudini erroris occasio præbeatur, iubemus vt nullæ nouæ reliquię pro approbatis habeãtur, nisi quę à Nobis rite recognitę fuerint, quæ verò iam certæ sunt, & vsu antiquo approbatę, vt ea qua par est veneratione colantur honestis in locis, &. in Thecis, seu va-

sculis honorificè ornatis, religiosè asseruentur, imò, & propria lampas ante illas iugiter ardeat, neque ab ecclesijs, quibus donatæ fuerũt retrahãtur, vt apud laicos detineantur.

Nunquam quęstus, sed deuotionis tantum gratia, festis diebus ex consuetudine ecclesiarum, in quibus sitæ sunt, à sacerdote saltem superpelliceo, & stola induto, exponantur.

Nemini liceat in sanctorum solemnitatibus, vel processione reliquiarũ, in ecclesijs, vel propè ipsas, conuiuia, & commessationes instruere, vel saltationes, & choreas ducere, ex irreligiosa omnino cõsuetudine indignissimum siquidem est, vt quæ tempora diuinis beneficijs recolendis, & prædicandis sanctorum Martyrum, vel Confessorum laudibus tribuenda sunt, ea profanis oblectationibus, atque impurarum voluptatum illecebris, cõcedantur.

Denique nulla noua miracula sanctorum, quæ prius à Nobis non fuerint examinata, & approbata, publicentur, vel à concionatoribus, vel à quauis alia persona cuiuscumque sit illa, dignitatis, & conditionis, neque enim mendacijs, & fictionibus honorari possunt

sancti, quibus maximè dehonoratur Deus.

CAPVT XIV.

De Græcorum nostrorum Ritibus.

GRæcos natione, quos nostra hæc diœcesis excipit, & fouet, licet erroribus Orientaliũ schismaticorum nullo modo cõsentiant, sunt tamen circa ritus seruandos in administratione Sacramẽtorum, iuxta Apostolicas sanctiones, & sacros Canones monendi, vt omnis omnino abusus tollatur, & nil Romanæ ecclesiæ decretis non consonũ, permittatur.

De Sacramento Baptismi.

NVllus ex græcis Præsbyteris, baptizatos infantes, Chrismate in fonte consignet, ideoque omnia, quæ in eorum Euchologio habentur ad formam talis consignationis requisita, prætermittantur.

Et licet ab Ecclesia Romana præsertim

ab

ab Eugenio IV. approbata fuerit forma illa Baptiſmi: Baptizetur N. ſeruus Ieſu Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel, Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Spiritus ſancti. ſub pœna tamen ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda prohibemus, ne inter nomina illa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vſurpent verbū Amen dicentes in nomine Patris Amen, in nomine Filij Amen, & in nomine Spiritus ſancti Amen, quia hæc non eſt forma ab eccleſia approbata.

Pro puerulis ante vſum rationis defunctis, officium mortuorum, ſacerdotes græci, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, clerici ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, non recitent, quia ex eccleſiæ ſenſu, paruuli nulla peccati labe coinquinati decedentes, in cœlis cum Chriſto regnant.

Execrabilē etiam illum morem orandi pro defunctis, qui impœnitētes deceſſerint omnino ſub ijſdem pœnis, tam ſacerdotibus, quam clericis, & laicis prohibemus, ſub quibus etiā pœnis expreſſè præcipimus, ne officium il-

lud

lud ſeptem ſacerdotum, Euchelem dictum, Venetijs impreſſum 1570. recitare vllo modo præſumant.

De Sacramento Confirmationis.

LIcet baptizatos à ſacerdotibus græcis, ſacroque Chriſmate conſignatos, poſſent latini epiſcopi confirmare, tutius omnino videtur, vt appoſita cõditione id faciant; videlicet, ſi non es confirmatus, ego conſigno te ſigno Crucis ✠ & confirmo te Chriſmate ſalutis ✠ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen, atque id præcipuè faciendum exiſtimamus, quando probabilis eſt cõiectura, quod à græcis epiſcopis fuerit aliquis baptizatus.

De Sacramento Eucharistiæ.

QVod ſacerdotes græci, Chriſti fidelibus latini ritus, ad eorum eccleſias cõfluentibus ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam miniſtrauerint, non ſinè graui ſenſu percepimus, ideo vt mos iſte nouus communicandi,

& adeò ſcandaloſus, omnino aboleatur, Præsbyteris quidem græcis, tale miniſterium ſub pœna ſuſpẽſionis à diuinis ipſo facto incurrẽda, prohibemus, laicos verò latinos, ſtatim atque tale quidquam petere à ſacerdotibus græcis præſumpſerint, excõmunicatos volumus, & declaramus.

Octauo quoque die, conficiatur Sacramẽtum aſſeruandum pro infirmis, & nunquam quindecim dies excedat.

Abuſum illum miſcẽdi ſacro oleo, vel iterum exſiccandi, & coquendi ſpecies ſacramentales feria quinta in Cœna Domini, vt facilius ſeruari poſſint, omnino deteſtamur.

Altaribus portatilibus à latinis epiſcopis conſecratis, deberent potius vti græci ſacerdotes, quam ſuis illis thronis, ſiuè thionis ad miniſterium Sacramenti, ſi tamen nolint, tolerentur, neque vnquam ſine corporali celebrẽt, niſi, & thionis pro corporalibus vtãtur.

Denique Præsbyteri coniugati meminerint, ad fontem totius ſanctitatis, & puritatis, non niſi mundos à ſordibus accedere debere, ideoque ſacrificium per acturi, vel per hebdomadam, vel ſaltem per triduum ab

vxo-

vxoribus fas esset abstinere.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CVM nulla alia sit vera forma sacramẽti Pœnitentiæ, quam illa, Ego te absoluo à peccatis tuis, à concilio Tridentino approbata; omnes alias formulas, siuè per modum deprecationis, siuè recitationis officij, quibus aliàs græci sacerdotes vsi sũt, detestamur, & prohibemus; poterũt tamen, si velint, post prolationem illam veræ formæ, ad libitum addere orationem, quam pro forma alias recitare consueuerunt.

Quod vir, & vxor græca, vni eidemque confessario, & vno eodemque tempore confiteantur, est abusus omnino tollendus, & nullo modo tolerandus.

Si quando latinus pœnitens, vel græcus confessario græco confiteri velit, animaduertat græcus sacerdos, ne quid illum prætereat eorũ, qui seruari debẽt iuxta latinũ ritũ in administratione huius sacramenti, & numerum peccatorũ interroget, & si quid restituẽdũ sit,

& dominus ablatæ rei innotuerit, non nisi domino restitutionem præcipiat.

De Oleo sancto Cathecumenorum, & infirmorum.

SI oleum sanctum pro cathecumenis, & infirmis ex veteri ritu ab ipsismet presbyteris græcis benedictum habeant, non sunt cogendi accipiẽdum illud à latinis episcopis: sed sufficit solum si sacrum chrisma accipiant, quod non nisi ab episcopo, etiam iuxta eorum ritum, confici potest; quod si ab aliquo græco episcopo de schismate suspecto fuerit aliquando chrisma confectum, illius vsum græcis presbyteris omnino prohibemus.

Purgatorium quod dicunt, siuè Deprecatorium super infirmis huiusque à presbyteris græcis recitari solitum sub excomunicationis pœna statim incurrenda imposterum interdicimus; neq; vllo modo lampadis oleo infirmos vngentes audeãt Extremæ Vnctionis formam proferrè.

Quamuis in administratione Sacramenti

Ex-

Extremæ Vnctionis ex consuetudine Orientalis Ecclesiæ, quæ vnitatem ministri non requirit, septem adhibeantur sacerdotes, qui singuli omnes quinque sensus vngere, & formam etiam recitare consueuerunt, quod verè est septies sacramentum ministrare, ideo sacerdotibus græcis præcipimus, vt iuxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel vnus tantum sacerdos sacramentum Extremę Vnctionis ministret, vel si septem velint adhibere, vnusquisque eorum sensum inungat, & formam propriam recitet, vtque omnis simoniacæ labis suspicio tollatur, exigere nummum aureum pro administratione huius Sacramenti, sub excommunicationis pœna statim incurrenda, vetamus.

De Sacramento Ordinis.

SI quis ab Episcopo schismatico, aliàs ritè ordinato, seruata debita forma ordinatus fuerit, licet ordinem susceperit, suspensus tamen est, vsquedum erroribus omnibus abiuratis, saltem schismate ordinantis Episcopi, vel publicè, vel priuatim, pro qualitate facti,

& salutaribus pœnitentijs emendatus, & absolutus, reconciliatus fuerit; atque cum ipso super contracta irregularitate, fuerit à Sede Apostolica dispensatum.

Suspectis de schismate Episcopis nullus omnino detur locus ad Sacramentorum administrationem, Summo Pōtifice inconsulto.

Quicumque sine litteris Episcopi latini diœcesani ordines susceperunt, suspensos volumus, cum qua suspensione, si ministrare præsumpserint, nouerint se irregulares futuros, nō nisi ab Apostolica Sede dispēsandos.

Si græcus baptizatus à gręco presbytero, fuerit ab Episcopo latino promouendus, debet prius ab ipso met confirmari, saltem sub conditione.

Presbyteri græci vxoribus defunctis, habitum ab alijs coniugatis aliquo modo diuersum deferant.

De Sacramento Matrimonij.

NE vllus pateat ignorantię locus, præcipimus Vicario nostro foraneo, & Archipresbytero græco nostræ diœcesis, vt per se, vel per suos cappellanos coadiutores, in

om-

omnibus locis, & ecclesijs Albanensium curet, vulgari idiomate græco legi, & promulgari decretum illud sacri concilij Tridentini de Reformatione Matrimonij.

Tam facile dirimi inter coniuges græcos matrimonia, approbare nullo modo debemus; ideoq; huc vsq; facta separatione quoad vinculum extraiudicialiter, & auctoritate propria nulla fuisse, atque irrita declaramus. Veterē illum superstitiosū morē inter spōsos, id est pateram vino plenam, & à sacerdote benedictam in signum mutuæ dilectionis sibi porrigere, & in ipsis Ecclesijs choreas, & festa nuptialia incipere omnino damnamus.

Moneātur spōsi, ne diebus festis ad despōsationē delectis missarū hora sit elapsa, & ipsi præcepto audiēdi missā nō satisfaciant: mos etiam ille expectandi à partu quadraginta dies, antequam ad Ecclesiam conueniant, videtur abolendus, debent enim omnes, statim atque conualuerint, & templa, & diuina officia frequentare.

Ritum græcæ vxoris maritus latinus non debet sequi, neque latina mulier græci mariti, potest quidem græca mulier, si voluerit,

ma:

mariti latini ritum sequi; si secus, quisque suo in ritu permaneat: proles patris sequatur ritum, nisi latina mulier praeualeat.

De alijs quibusdam Graecorum riti- bus, & dogmatibus.

IN ecclesijs, vel in earumdem aditibus, vel etiam super ipsis defunctorum sepulchris commessationes, & compotationes fieri prohibemus, & sane execrabilem licentiam huiusmodi satis dolere non possumus, defunctorum enim animae ieiunijs, & orationibus subleuandae sunt, non conuiuijs, & ebrietatibus, quà propter scandalosam, & gentilitiam consuetudinem eliminare volentes, sub poena excõmunicationis maioris latae sententiae statim incurrenda, conuiuia, & compotationes huiusmodi prohibemus, & Archipresbytero Vicarioque foraneo sub poena suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda, praecipimus, vt tales homines si peccantes in hoc viderint, & acriter corripiant, & ex locis sacris eijciant.

Graecis monachis, vel Calogeris non nisi

ex

ex vrgente necessitate animarum cura demandetur.

Processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio græci omnes iuxta sãctę Romanæ Ecclesiæ sensum agnoscere debent, & data etiã aliqua occasione palam profiteri, præcipuè si sicuti Albanẽses nostri inter latinos degãt.

Vsum carnium die sabbathi in græcorum pagis, dummodo absque scandalo fiat, tolerãdum existimamus, non tamen vxoribus, vel filijs iuxta ritum latinum viuentibus permittimus.

Quod & tempore Quadragesimæ abstinentia in die sabbathi sufficiat græcis pro ieiunio, excepto vno sabbatho sancto, indulgendum est; quandoquidem & à Clemente VIII. fel. record. concessa fuit commutatio ieiunij die sabbathi indicti pro Iubileo, vel ex alia occasione in alium diem; & licet optabile esset, si ad totius Ecclesiæ Vniuersalis morem se componerent in obseruatione tum ieiuniorum, tum vigiliarum, nullo tamen modo cogẽdos existimamus, cum quarta, & sexta feria cuiuscumque hebdomadæ ieiunent.

Mo

Moneantur omnes græci sub præcepto peccati mortalis teneri, & ipsos ad cultum dierum festorum iuxta Vrbani *VIII.* constitutionem.

Denique clerici omnes greci, & si solum prima clericali tonsura initiati incedant in habitu, iuxta græcum ritum; alioquin grecorum priuilegijs carebunt.

SESSIONIS SECVNDAE

CAPVT I.

De Sacramentis in genere.

LEgis veteris & Sacramentis, & sacrificijs, & innumeris penè præceptis ceremonialibus abrogatis, cum apparuit gratia, & benignitas Saluatoris nostri Dei, nouos, & salutares sanctificantis gratiæ fontes aperuit; quorum quanta sit vis, vel ad gratiam conferendam, vel ad peccatorum maculas abstergendas, vel ad virtutes augendas, hoc loco explicare superuacaneum omnino existimamus,

mus. septenario numero sacramenta contineri vniuersa docet, & confitetur Ecclesia; hæc autem quæ velut septem remedia Deus esse hominibus, voluit, quibus, & criminum sordes, & diuisa gratia pararetur; sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium; & licet non omnia singulis ad salutem sint necessaria, omnia tamen gratiam salutarem conferunt, & subministrant.

2 Tria ex his Baptismum videlicet, Confirmationem, & Ordinem reiterari non posse sine graui sacrilegio, & ratio conuincit apertissime impressi indelebilis characteris, quo fidelis ab infideli, ordinatus à non ordinato, confirmatus à non confirmato distinguitur, & eorum perpetuus, & inuiolabilis vsus docet.

Quicumque sunt sacerdotes sacramenta ministrare ab ipsa sacramentorum sanctitate monentur, ne impuro corde, aut pollutis manibus ad illa accedere audeant; neq; illud solum spectare debent, quod de virtute, quæ sacramentis diuinitus inest, quantumuis ipsi peccatis cõtaminati sint, nil omnino de-

trahatur, sed verendum illis est, ac summopere cauendum, ne sancta temerè tractando, dum saluti alienæ consulunt æternam sibi perniciem parent, & interitum, qua propter, quotiescumq; sanctum hoc ministerium exequuturi sunt, ita ad pietatem & religionem mentem excitare studeant, vt candidissimę sacramentorum ipsorum puritati, quam maximè possunt animi candore, & ipsi respondeant.

Si aliquis alius sacerdos, præter parochos quibus ordinaria potestas, & iurisdictio est, sacramenta ministraturus sit, nullo modo admittatur, nisi fuerit à Nostro Vicario Generali, & Examinatoribus examine præuio approbatus, neque enim ad diuina mysteria pertractāda accedere fas est quemquam, qui vel sacros ritus non nouerit, vel illam pietatem, & morum grauitatem non præferat, quam misteria diuina requirunt.



CA-

CAPVT II.

De Sacramento Baptismi.

QVoniam per Baptismum ad reliqua sacramenta, veluti per quamdam ianuã, patet ingressus, hinc fit, vt ab eo, quod ex seruis sathanæ filios Dei efficit, atque æternæ salutis hæredes instituit, & Christo capiti tãquam membra copulat, & connectit, ordiendum merito videatur.

Sacramenti huius formam ipsemet Christus Dominus præscripsit, quando Apostolis ad prædicandum Euangelium destinatis dixit: Eũtes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: hanc igitur sacramenti huius ministri vsurpare sine vlla permutatione verborum, & cum intentione sincera faciendi, quod intendit Ecclesia, debent; neque aliam aquam, nisi purè elementarem, velut materiam ex per antiquo Catholicæ Ecclesiæ, probatoq; vsu, adhibendam esse existimamus.

Animarum curatores legitimos esse huius

sacramenti ministros nullus ignorat, sicut & quis alius sacerdos, qui subdelegatam habeat ab Archiepiscopo potestatem, potest quidem vrgente necessitate esse quiuis alius, siue sacris ordinibus initiatus, siue solum clericus, vel etiam laicus, siue vir ille sit, siue fœmina, cum ea tamen conditione, vt ille semper ministret, qui ordinis dignitate præcedit.

Quod si nulla sit copia, neque sacerdotis, neque clerici, neque laici viri, qui conficiendi huius sacramenti peritus sit, vrgente mortis periculo ipsæmet obstetrices baptizare possunt; ideoque serio iubemus nullas ad tale munus admitti debere, nisi quæ prius à Nostro Vicario Generali examinatæ circa baptismi formam, & cætera quæ scire debent approbatæ, facultatem in scriptis obtinuerint.

Aqua semper in Baptisterio, siue quæ sabbatho Sancto, siue que sabbatho ante Pentecostem fuerit benedicta seruetur. fons tamen ipse Baptismalis ad eam formam sit extructus, vt in ipsum eumdem ex infantis capite abluto aqua non defluat, sed vas aliud excipiat,

piat, ex quo ad proximum sacrarium descendat, vel facilè deferatur, Baptisterium verò ipsum semper ornatum habeatur.

In ipsa sacramenti huius administratione, tum ea, quæ ad Cathechismum, & Exorcismum pertinent, attentè, distinctè, tum ipsas sacras precationes deuotè, & grauiter pronuncient. Reliqua etiam omnia ita exequantur, vt interiorem piæ deuotionis affectum, exteriori & ipsa actione semper exprimant.

Nè vlli salutis periculo infans expositus sit, intra octauum à die natali ad Baptismum suscipiendum deferatur; quod si propter, imminens periculum domi Baptismus collatus fuerit, si superuixerit, solemnes ritus, cœremoniæ sacræ, infusione, & forma omissis, in ecclesia adhibeantur, eoque casu tam Baptismi domi collati, quam sacrarum cœremoniarum in Ecclesia, seruatarum, & Patrinorum vtrobique etiam adhibitorum, specifica in libro baptizatorum mentio fiat. Nunquam plus quam duos susceptores Parochus admittat, susceptorum

verò

verò munere fungi, monachum regularem, vel non confirmatum omnino prohibeat, & nullum baptizando nomen imponat, quod alicuius in sanctorum numerum relati memoriam non referat, indignum enim omnino est, vt nomen sumat ab ethnicis, & impijs hominibus, qui Christi militiæ adscribitur, & non ab ijs, quorum patrocinium in cœlis habere, & vitam, ac gloriosa virtutum incitamenta in terris ad imitandam sibi proponere valeat baptizatus.

Chrismate vtatur recenter ab Archiepiscopo consecrato, quod in vase argenteo seruetur, sicut etiam in alio oleum Cathecumenorum, & nunquam ex sacris oleis aliquod à laicis attingi permittat, elapsoque anno veteribus combustis recētia ab Ecclesia Metropolitana requirat.

Linteola, quibus baptizati caput abstergi solitum, vel bene purgata in sacrum aliquem vsum adhibeantur, vel combusta proijciantur in sacrarium, ne vnquam in vsum profanum conuertantur.

Suus cuique parocho codex sit, isque diligenti cura seruatus, ne vllus fraudibus detur locus,

locus, in quem eorum, qui baptizantur, parentum, & susceptorum, siuè patrinorum nomina, & cognomina referat, diemque quo quisque natus, ac baptismo initiatus est, fideliter exprimat.

Si quidèm periculum est, ne infantes per nutricum incuriam intercluso spiritu obruti suffocentur, præcipimus ne intra annum, sine vlla cautione illos iacere secum in lecto patiantur.

Infantes, de quibus re diligenter perquisita dubium ad huc relinquitur, an baptizati fuerint, vel etiam, an baptismum ritè susceperint, baptizentur sub ea conditionali forma, si baptizatus es te iterum non baptizo, si verò nondum baptizatus es, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.*

CAPVT. III.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmationis sacramentum cuius virtute

tute Spiritus Sancti, gratia in fidelium corda infunditur, vt prompti, & expediti hostiles in cursus non expauescant, & ad fortiter decertandum parati inueniantur, maximo cum honore colendum esse Parochi populos doceant: & licet Archiepiscopalis ministerij pensum sit, in aliquibus tamen aliorum etiã operam requirit.

Constitutam ab Archiepiscopo illius conferendi diem parochi in suis ecclesijs ante denunciabunt, & tum sacramenti huius sanctitatem, vim, & necessitatem, tum quæ ad illud ritè recipiendum pertinent, populis opportunè explicabunt; monebunt verò præcipuè, vt qui in ætate idonea sunt illud suscipere ne differant; nullum tamen ante rationis perfectum vsum, & septimum annum expletum ad illud accedere permittant, ne, cum grandiores facti fuerint, de suscepto hoc sacramento dubitare contingat.

Vnusquisque ex confirmandis suum habeat susceptorem, virum masculus, & fœminam fœmina, quæ seorsim à viris in ecclesia degere debebunt, ne confusè, & permixtim omnibus ministretur hoc sacramentum, sed

prius

prius viris, deinde mulieribus, suoq; ordine, & sine tumultu, & perturbatione omnia vt procedant, prouideatur.

Vt quique fuerint sacro oleo ab Episcopo delibati diligenter à Parocho, vel à Præfecto Cœremoniarũ bombyce abstergantur, quod postea combustum in sacrarium proijciatur. Confirmatorum ætatem & nomina, eorumq; parentum, nec non diem, & annum Parochi in codicem referant, quem ad hunc vsum promptum, paratumque habebunt, ideoque Archiepiscopo hoc ministranti semper adstabunt.

Nomina in Confirmatione mutare poterit Pontifex minister, præcipuè si ex Parochorum incuria in Baptismo aliqua imposita fuerint, quæ gẽtilitium, & profanum preseferre videantur.

CAPVT IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

SAcrosanctum Eucharistiæ sacramẽtum, quod D. N. I. Christus in supremæ no-

 ctis

ctis Cœna memoriam faciens mirabilium suorum instituit, & ineffabilis ergà nos amoris sui monumentum, ac futuræ etiam beatitudinis pignus mundo reliquit, vt panem Angelorum manducet homo, omnem saporem, & omne delectamẽtum in se habentem, quanto cæteris omnibus sacramentis, tum misteriorum magnitudine, & numero dignius, tum admirabili fructuum vbertate prę stantius esse dignoscitur, tanto magis accuratè elaborandum est, vt quæcumque ad illius cultum, & administrationem pertinent, piè, & sanctè peragantur.

*I*gitur illud in primis curæ sit, vt plures ante altare, in quo *E*ucharistia asseruatur lampades, vel ad minus vna semper præluceat ad venerationem.

*I*n omnibus *E*cclesijs, siuè Parochialibus, siuè Collegiatis, & Nobilioribus, in quibus seruari cõsueuit, in magis conspicuo loco tabernaculum collocetur, siuè illud sit ligneũ auro, sacrisque imaginibus ab exteriori parte ornatum, siuè ex marmore, vel pretiosis lapidibus confectum; intus verò sit panno serico circumuestitum, clauique muniatur auro,

ro, vel argento circumfusa, qua ostiolum à sacerdote claudi, recludique commodissimè possit, in eo nec sacris oleis, nec reliquijs sanctorum, neque alijs quibusue rebus vllus omnino sit locus.

Parochiali cuique ecclesiæ duæ saltem argenteæ, intusque inauratæ pyxides sint, quarum altera populo sacrosanta Eucharistia ministretur: ad ægrotos altera deferatur: inclusas continuò habeant ad omnem fidelis populi necessitatem, & vsum sacras hostias complures, has tamẽ ipse renouet Parochus, & hostias recentes adhibeat, quas tamen non ante consecret, & includat, quàm veteres omnes ministratæ sint, earumque fragmenta consumpta; & quando ad ægrotum deferri debet, semper in pyxide plures particulę cõsecratæ ferantur, vt, cum vna infirmus refectus fuerit, reliquæ in reditu ad ecclesiam referantur, ne populus inani vasculo adorationis cultum exhibeat.

Ad publicam adorationem quacumque iusta, grauique de causa Eucharistiam exponere omnino prohibemus; nisi prius à Nobis obtenta facultate, quam non nisi de loco de-

cēter, & religiosè ornato cū cereis faculis saltem decē, vel octo de ministrorum pietate, & assistētia, & de populi frequētia certiores redditi à nostro Vicario Generali, concedemus.

AEgrotis deuotionis ergo sacratissimum Christi Domini corpus, vel ante, vel post viaticum sumere cupientibus debito ecclesię seruato ieiunio concedatur, modo semel tantum viatici nomine non ieiuno præbeatur.

2 Quæstuarijs mulieribus, publicis concubinarijs, fœneratoribus, & alijs id genus hominibus, nisi emēdatæ vitæ certa à Parocho notitia habeatur, nullo modo sacra Eucharistia ministretur, curet tamen Parochus eorum saluti sedulò, quātum potest, prouidere.

3 Cum plurimorum conciliorum decretis sancitum sit, vt saltem semel singulis annis oēs à suis quæque Parochis agnoscantur, curent Parochi, vt Paschalibus diebus ad parochiales ægrotos Eucharistia deferatur, & vel per se ipsos, vel per cōcionatores sub ipsum Quadragesimæ initium omnes eorum curæ commissos moneant, & hortentur, vt ad digne sacrosanctum hoc sacramentum, quo ad fieri poterit, sumendum se comparēt,

ne, si indigne accesserint, iudicium sibi manducent, & bibant; & ne vllus detur dœmonis fraudibus locus, quibus Christi fideles à tam salutifero remedio arceantur, volumus, vt Parochi omnes ante ipsum quadragesimale ieiunium singulis annis nomina omnium intra fines suæ parœciæ degentium in codice ad id præcipuè confecto accuratè describāt, quo facilius postea possint ex distributis schedulis Cōmunione Paschali, si qui defuerint, ex descriptis in libro cognoscere, quos statim nobis deferri volumus, vt vel iustum abstinētiæ à sacra Communione impedimentum probare, vel de opportuno statim remedio prouidere possimus.

Ruricolis, & peregrinis, si quos ad Cōmunionē his diebus admiserint, in scriptis fidem susceptæ Eucharistiæ, quā possēt vbiq; exhibere, nō denegēt, adnotato tamen eorū nomine in libro superius designato.

Laudabilē morē deferēdi dānatis ad mortē, pridie quā ad suppliciū ducātur, Eucharistiam, ne tanto bono priuentur, approbamus.

Illud verò ante omnia Parochis cōmendatum volumus, vt cum ipsi quanto fieri possit

stu-

ſtudio pietatis, & cultu venerandum hoc ſacramentum tractēt, cuſtodiant, & miniſtrēt, tum populi ſibi commiſſi illud religioſiſſime venerentur, ideoque ad ęgrotos illud delaturi, certis campanæ ictibus pro regionum more Christifideles conuocent, qui comitentur preter Clericos, vel Sodales cereas præſe ferentes faces; cęremonias,& preces in Romano Rituali præſcriptas nullas negligant, & quęſtuarias capſulas, ſiuè per vias, ſiuè in eccleſijs pro adminiſtratione huius ſacramenti omnino prohibemus.

Occultis peccatoribus, & ſi ab ipſis non absolutis ad ſacram menſam accedentibus miniſtrare Parochi nullo modo renuant, nè ſigilli ſecretum cum ſcandalo violetur.

Denique feria quinta maioris hebdomadæ ita ſacramentum ſeruari debet in loco decēter ornato, & tabernaculo, vel monumento affabrè elaborato, vt nullo modo à populo circumfluente videri poſſit: ſed claui obſeratum ſit, eaque nulli laico quacumque nobilitate, & dignitate conſpicuo: ſed potius ſacerdoti in diem ſequentem conſommaturo committatur.

CA-

CAPVT V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DIues in miſericordia Deus cognoſcens figmentum noſtrum noluit, vt ſi quādo poſt acceptam in Baptiſmo iuſtificationis gratiam denuo in peccati ſeruitutem ingrati,& miſeri nos conijciamus, omni tamen ſalutis remedio in perpetuum deſtituamur, ſed Pœnitentię ſacramēto, quo peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittantur, verè ſecunda poſt naufragium tabula nos donauit, cuius frequenter repetendi,quo maior nobis impoſita eſt neceſſitas, eò etiam ſtudioſius pro uidendum eſt, vt in ijs, quæ ad rectam illius adminiſtrationem pertinent, nihil omnino miniſtrorum vel incuria, vel inſcitia, contingat erroris.

Omnes vtriuſque ſexus fideles, qui ad annos diſcretionis peruenerint, ſemel ſaltem in anno Paſchalibus diebus peccata ſua proprio Parocho,vel alteri ſacerdoti,ſiuè ſæculari, ſiuè regulari à nobis approbato confiteri debent, & ne vnquam alicui excuſationis de

tur, vel ignorantiæ locus, concionatoribus omnibus præcipimus, vt quadragesimali tempore populos huius obligationis commonefacere non omittant.

2 Nullus sacerdos, siuè regularis, siuè sæcularis, qui parochialem ecclesiam non obtineat, sacramentales confessiones excipere presumat, nisi à Nobis, vel Vicario nostro Generali præuio examine, & facultate in scriptis data fuerit approbatus, excepto mortis articulo, in quo quilibet sacerdos censetur idoneus minister, etiam ad casus reseruatos, & cēsuras absoluēdas, pro quibus tamen, si nullam habeat potestatem delegatam, meminerit ægrotum, si conualuerit monere de onere se præsentandi superiori sacerdoti, qui à censuris, & casibus cum censura absoluere possit, nam pro casibus sine censura reseruatis non indiget noua absolutione, si conualuerit, nec debet se præsentare.

3 Sacerdotes sæculares sacramentum hoc ministraturi ad confessionale cum superpelliceo, stola violacea, & clericali bireto accedant, & mulierum confessiones post solis occasum audire nullo modo præsumant.

Licet

Licet formæ absolutionis verba solum illa necessaria habeantur, Absoluo te à peccatis tuis, nihilo tamen minus, tum ad excitandam fidelium pietatem, tum ad diuinam misericordiam implorandam, & ad cautelam pro censuris alia omnia ab ecclesia præscripta clarè, & distinctè, & deuotè recitare non prætermittant. Post auditam igitur confessionem, & in positam pœnitentiam. dictis Misereatur tui Omnipotēs Deus &c. Et: Indulgentiam absolutionem &c. statim subdat: Dominus Noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis (si pœnitens fuerit clericus) & Interdicti in quantum possum, & indiges. Deinde eadem auctoritate ego te absoluo à peccatis tuis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Tunc demum addant: Passio Domini Nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ, & omnium sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitę æternæ Amen.

In excipiendis confessionibus de fidei articulis pueros,& rudes sacerdos interroget,& si quem repererit mysterij Trinitatis, Incarnationis,& passionis Dominicæ ignarum, eo modo instruat, vt non nisi post actum fidei elicitum absolutionem impartiatur: statum pœnitentis agnoscat, & quæ ad ipsius salutem conducunt non omittat; & quem proxima occasione peccandi irretitum offenderit, nisi prius resipiscat,& spem certæ emendationis præseferat,non absoluat.

Memor damnatę illius opinionis,Clemētis VIII. decreto,nullum,nisi sibi præsentem absoluat:mulieres verò si quas accedentes ad confessionale viderit nimis ornatas,pro sua prudentia confessarius moneat, vt decentius, & habitu modesto ad Pœnitentiæ sacramētum accedant.

Medici quorum inlecto ægrotantium curam susceperint,eos ex decreto sanctæ memoriæ Pij V. cum primis hortentur,vt sacerdoti peccata confiteantur: quod si infirmi id facere neglexerint,sub pœnis à sacris constitutionibus decretis illorū curationem deserere omnino teneantur.

Cum

Cum intelligerent sacrosancta concilia è re, atque disciplina Christiana esse, vt grauiorum quorundam, atrociorumque criminum absolutio non ab omnibus passim, sed à summis solum sacerdotibus traderetur; sapientissime decreuerunt, vt præter casus Summo Pontifici reseruatos, Episcopi omnes in sua quisque diœcesi grauiorum huiusmodi culparum reos sibi ipsi absoluendos relinquerent. Ne igitur confessarij temerè per ignorantiam quos minimè possunt absoluant, illud omnino volumus, & mandamus, vt perpetuò affixa sit in sacristia tabula casuum Nobis reseruatorum, quinimo admissos omnes ad confessiones audiendas, ne vllius memoria prætereat, præ manibus sæpius habere præcipimus. Poterunt quidem ab his soluere tū electus à Nobis Pœnitentiarius, tum Vicarij foranei, & alij omnes qui à Nobis huiusmodi facultatem acceperint.

Casus nobis reseruati sunt.

1 MAgicas artes, Sortilegia, Incantationesque cum dœmonum inuo-

catione exercentes.

2 Blasphemiæ omnes hæreticales, & quæ aliquo modo hæresim sapiunt, articulisque fidei aduersantur.

3 Paganis mulieribus, aut bestijs abutentes.

4 In primo, secundo, & tertio, consanguinitatis, vel affinitatis gradu incestũ cõmittẽtes, vel in cognationis spiritualis gradu coniũcti.

5 Procurantes abortum etiam ante fœtus animationem.

6 Notarij, qui legata ad pias causas facta non denunciant.

7 Falsum in iudicio testimonium in aliorũ gratiam, vel odium dicentes.

8 Litterarũ, & sigilli Archiepiscopalis, & eius curię falsarij, & qui litteras, & scripturas Archiuij, vel furto subripiunt, vel quouis modo mutilãt, aut deturpãt, vt integrè legi nequeãt.

9 Bonorum Ecclesiasticorum inuasores.

Si quis autẽ ad nostrũ Pœnitẽtiarium, vel alium habentem subdelegatam absoluendi potestatem, vel infirmitate, vel alia de causa detentus accedere non possit, quicumq; confessarius de eius licentia, sine tamen vlla sigilli fractione à Nobis facultatẽ petere poterit.

CAPVT VI.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

EXtremæ Vnctionis sacramentum, quo Clemẽtissimus Redemptor Iesus Christus vitæ nostræ finem tamquam firmissimo quodam præsidio communitum voluit, sicut & vitam omnem salutaribus alijs sacramentis firmauerat, perpetua ecclesiæ consuetudine, vsuque semper receptum, seruatumq; est. Hoc igitur ita ijs, qui morbo ingrauescente in probabili vitę discrimine constituti sũt, ministrari à Parochis opportunè volumus, vt in tempus, quo illi sensu, & rationis vsu carẽt, non protrahatur.

Cum primum Parochus ad sacrum oleum ministrandum vocatus fuerit, ecclesiam adeat, ibiq; conuocatis aliquibus comitibus superpelliceo, & violacea stola indutus vno saltẽ clerico præeunte, si pluriũ nõ sit copia cũ cruce, vnicoq; lumine intra lanternã accenso ad infirmum pergat: vasculũ sacri olei serico sacculo decẽter inclusũ vel manibus gestet, vel collo item serica cordula aptè appensum

deuo-

deuote ferat, vt ad venerationem occurrentes Christi fideles excitet.

Excõmunicatis, impœnitentibus, in puerperio laborantibus, damnatis ad mortem, ad periculosum prælium proficiscentibus, vel longam nauigationem ineuntibus nullo pacto conferatur; sed solum in extremo vitę periculo, vel ex morbo, vel ex lethali vulnere cõstitutis, etiam si repentino aliquo casu prępediti illud petere nequiuerint, qui tamen antea piè vixerint, ministretur.

Non rarò ea morbi vis est, vt vtrùm ægrotus efflauerit animam dubitetur, tum Parochus ipse per se rem diligentissimè perscrutetur: quod si hæreat, tum vngens ea conditione vtatur: si es viuus, per istam sanctam vnctionem &c. si verò ita laboret ægrotus, vt verisimile sit eum ante moriturum, quàm sacramenti administratio absolui possit, precationibus prætermissis, singulæ corporis partes, quas ritus inungi postulat, cum stata verborum formula liniantur; & si superstes fuerit, reliquæ precationes adhibeantur, & quæ in Rituali Romano circa vnctionem præscripta sunt, diligenter, & accuratè seruentur.

Me-

Meminerit Parochus, si semel infirmus fuerit vnctus in eodem morbo, eodemque mortis periculo, non esse iterum liniendum; quod si post susceptam vnctionem valitudinem recuperauerit, quoties ex eo tempore in vitæ discrimen inciderit, toties sacramenti huius præsidio muniendũ. in diuturnis etiã quibusdam morbis, si cui, qui iam desperatus videretur, hoc sanctum oleum adhibitum fuerit, atque is deinde euaserit, si postea ex eodẽ morbo rursus in periculũ inciderit, huic rursus sacra vnctio non videtur deneganda.

A Parochis oleum sacramenti huius materiam ab Episcopo feria quinta maioris hebdomadæ benedictum in vasculo stanneo, vel argenteo scite confecto seruetur, quotannis vetere combusto, & seorsim ab ijs vasculis habeatur, quibus ad vsum Baptismi sacra olea includuntur.

Denique ægrotum vngendum sacerdos consoletur, eumque ab humanarum, fluxarumq; rerum cogitatione ad cœlestium præmiorum, æternæque beatitudinis cupiditatem traducat: dœmonis varias rerum species ad terrorem proponẽtis insidias excelso animo

mo contemnere & de diuina bonitate,& misericordia bene sperare iubeat: simul illud adiungat, quam magnum habeat hoc sacramẽtum deuotè petitum, & susceptum ad salutem momenti, cuius vt ille desiderio inflammetur, fructus ex eo prodeuntes per capita breuiter prosequi poterit. Tum ne tędio decumbentem afficiat, in bono proposito confirmatum, sancta benedictione munitum Deo commendet, & adstantes ad preces pro ęgroto fundendas enixè hortetur.

CAPVT VII.

De Sacramento Ordinis.

AD Ecclesiæ hierarchiæ decorem sacramentum Ordinis Christum Dominum instituisse, idemque gratiam, sicut, & cætera omnia sacramenta, initiatis conferre fatentur vniuersi: & quia characterem imprimit, hominemque sacræ militiæ adscriptum ita signat, vt nullo vnquam tempore ab illa discedere possit, ideo seriò prouidendum, ne vn-

quam

quam aliquis canonicis irretitus impedimẽtis admittatur.

Qui sacris ordinibus, vel minoribus, vel etiam prima tonsura initiari voluerint, aliquot ante ordinationẽ diebus Nos adeãt, non tantummodò vt examini se sistant, sed vt de vita, moribus, & cæteris requisitis opportunè inquirere possimus. quinimo quibusuis sacris ordinibus initiari cupientium nomina volumus in parochiali ecclesia à Parocho euulgari tribus diebus festiuis inter missarum solemnia, & de singulorum natalibus, ætate, vita, & moribus diligenter inquirere, vt qui minùs digni reperiuntur, à sacrorum ordinum limine, atque ingressu opportuniùs arceantur.

Ad diuinum auxilium in re tã magni momenti implorandum, & ad maiorem pietatis significationem, nõ ab re fuerit, si à Parochis ante diem ordinationis, vel supplicationes, vel publicæ orationes habeantur, populusq; de ecclesiasticæ vitæ dignitate, & oneribus instruatur, vt nemo audeat vel commodi alius priuati, vel exẽptionis fori vtilitate sibi proposita, sed solum ex vitæ perfectionis

K desi-

desiderio statum clericalem eligere.

Quicumque igitur maiorem, vel minorem ordinem est suscepturus, ad examen veniens legitimè testata litteris afferat: primò se ex legitimis nuptijs procreatum esse: deinde à Parocho, vel à ludi magistro litteras testimoniales exhibeat, quibus vitæ superioris ratio, & mores cōmēdētur; quod si ad Subdiaconatus ordinē sit promouēdus, ostēdat redditus, siuè ecclesiasticos ex beneficio, siuè laicales ex patrimonio se possidere, eosque ad eum commodè alēdum sufficere; et sine huiusce-modi litteris testimonialibus in conspectum nostrum venire non audeant: et si alienæ sit diœcesis, litteras testimoniales sui Ordinarij, quibus omnia superius exposita fuerint probata, secum deferat, quas exhibeat; sicut & regulares suimet superioris testimonium habere debent, quo & causa, si dispensandum sit super interstitijs, contineatur.

Si quis maturioris iam ætatis ad ordines admitti postulet, iuridicè examinetur, an ex deuotione, an propter contracta debita in statu laicali, vel ad forum sæculare subterfugiendum inducatur.

Qui-

Quilibet ordinatus in sua paræcia munia ordini suo conuenientia frequēter exerceat; quod si aliquis exercere renuerit,& cum scādalo, vel non adeò probatæ vitæ testimonio vixerit, is ad vlteriora sine certa spe vitæ emendationis nullo pacto promoueatur, debent enim ordinibus initiati spiritualis vitæ studia colere, religionem, castitatem, orationem, charitatem præcipuè adamare; illudque tamquam certum sibi persuadeant, nihil aliud ecclesiasticæ vitæ cursum, quam perpetuam virtutum omnium exercitationem esse debere. ordinatus Exorcista ad exercitiū ordinis, nisi prius fuerit à nostro Vicario Generali diligentissimè examinatus, & approbatus, accedere nullo modo audeat, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

Qui verò sacerdotes creati fuerint primā missā celebrare ante nō pręsumāt, quàm à primo nostro magistro cęremoniarū Synodali quē huic negocio præfecimus, diligēter examinati, & approbati ad celebrādū dexteritatis suę testimoniū scriptū acceperint, quo testimonio pręhabito, poterūt à nostro Vicario Generali licētiā celebrādi facilius impetrare

CAPVT VIII.

De Sacramento Matrimonij.

MAtrimonio Dominus Noster Iesus Christus fons, & origo spiritualium omnium diuitiarum sacratissima sua passione gratiam, quæ perpetuum, indissolubilemque illius nexum confirmaret, ac ipsos coniuges sanctificaret, ita largitus est; vt verè, ac propriè sacramentum effectum sit, & meritò cum Apostolo magnum in Christo, & in ecclesia sacramentum prædicetur: & quia huius magni sacramenti ministri ipsi contrahentes sunt, caueant, ne ad illud celebrandum minùs parati accedant; sed potius cum illa animi dispositione, vt sacramẽtalem gratiam consequi mereantur.

Quęcumque verò de illo sacrosancta Tridentina Synodus seruanda Spiritu Sancto auctore præcepit, ea parochialium ecclesiarum præfecti in memoriam sibi sedulò redigant, & nihil omnino ex decretis in ipsius celebratione prætermittant.

Ne vnquam assensu coniugum per vim, &

& metum expreſſo in ſacramẽtum Matrimonij perturbatio inducatur;antequam contrahendum ſit matrimonium, populo Parochi denuncient:tum ex viro ſeorſim,tum ex muliere quærant:vtrum id ſibi fieri placeat, atq; ad eam rem ſponte per ſe ipſi, ac liberè veniant? dum verò mulieris conſenſus exquiritur,vbicumq; id demum fiat, illud prę oculis habeatur, vt ſi plures ad ſint, qui Parochum, & mulierem colloquentes videant, non ita tamen propè accedant,vt mulier prę pudore minùs liberè animi ſui conſensũ patefaciat.Tum vtrumq; moneat ſeorſim,oportere diligenter cauere, ne quid legitimi impedimenti ſit ad matrimonium inter ſe contrahendum,de quo etiam à probatæ fidei hominibus teſtimonium requirat. Quod ſi nullum impedimentum repererit, ad denunciationes de more præſcriptas tribus diebus feſtiuis procedat.Poſt vltimam verò denunciationem ad matrimonij contractum eademdie ne deueniatur;ſed in proximè ſequentem diẽ differatur in parochiali eccleſia ſponſæ, ſi contrahentes ſint ex diuerſis, vbi miſſa celebrata à Parocho benedictionem accipiant.

Quod

Quod si iustis de causis ex nostra peculiari facultate alibi matrimonium celebratum fuerit, quàm in ecclesia, intra quindecim dies ab habita celebratione, sub pœna excommunicationis præcipimus, vt ad ecclesiam veniant, benedictionem à Parocho percepturi; si verò vetitis ab ecclesia temporibus contractum inierint, sub eadẽ pœna intra octo dies ab aperitione nuptiarum vtrumque coniugẽ ad eãdẽ benedictionem volumus præsentari.

Si contrahentes filij familias fuerint, Parochi ab ipsis quærant vtrum conscijs, & permittentibus, an inscijs, & inuitis parentibus iungi matrimonio velint: ac si de illorum voluntate non constet, interrogentur de causa, eaque cognita, paternè, & grauiter ipsos moneant, ne parentũ aut negligere, aut parui facere auctoritatem velint, vt eos de re tanta certiores nõ reddãt. parentes verò caueãt ne matrimonia celebrãda per malignitatem impediant, vel ad alia ex deordinato aliquo, prauoque affectu contrahenda nolentes, & repugnantes filios, vel filias inducant.

Si sponsi ex diuersis parochijs sunt, Parochus sponsę matrimonium non celebret, nisi

prius

prius à Parocho sponsi fidem scriptò habuerit, & quidem subsignatam, qua testetur omnes denunciationes à se de eo matrimonio in sua ecclesia factas, & nullum impedimentum fuisse denunciatum, vel etiam permissu nostro aliquam earum denunciationum omissam. quod si Parochus sponsi fuerit alterius diœcesis, fides illius sit etiam Ordinarij testimonio, & sigillo munita, & à Nobis, vel nostro Vicario Generali recognita; si verò à remotioribus partibus testimoniales litteræ sint expectandæ, & commodè etiam haberi non possent, nullo modo Nobis inconsultis Parochi celebrationem matrimonij inire audeant.

Vtrumque sponsum moneant, vt ante matrimonij celebrationem Confessionis, & Eucharistiæ sacramenta percipiant, ad vberiorem gratiam, & spirituales fructus participandos; quod si aliquis fidei rudimenta non nouerit, ad matrimonij contractum non admittatur.

Illud quoque coniugibus in memoriam reuocandum est, ne ante celebrationem matrimonij, susceptamque in ecclesia benedictionem

nem,quæ ſtatim celebrato matrimonio danda erit,aut ſimul habitent, aut commercium habeant; coeantue:neque enim ex inito contractu per publicum notarium poteſtas in corpus data eſt: vnde grauiſſimæ culpæ ob noxios ſe nouerint,ſi ante matrimonium per verba de præſenti cōuenerint; & Sancti Auguſtini effatum illud crebrò inculcandum: In coniugali vinculo,ſi pudicitia non ſeruetur,damnatio timeatur.

Quamuis ad ſecundas,& tertias,& ſic deinceps nuptias tum vir , tum fœmina procedere poſſint; ambigentes tamen de prioris coniugis obitu , tandiu ſecundis , vel tertijs nuptijs abſtinere debent, donec certum omnino ſit de illius morte teſtimonium;ante verò quàm pro certo habeatur, Parochi nouo matrimonio copulare vel viros,vel mulieres viduas non audeant.

Nullus Parochus ſibi hoc ſumat,vt aduenas ex aliena diœceſi,qui ſe ſpōſos iactāt, vt coniuges libenter excipiat, ſi ab Ordinario ſuo litteras non afferant, quibus contractum matrimonium teſtatum fiat:fieri enim facilè poteſt,vt quæ haberi vult ſponſa, ſit concubina:

bina proinde inuigilet, & diligenter attendat Parochus huiusmodi errorum vitari, & mores, & si quid deprehenderit, quod inhonestum sapiat, & populo scandalosum, statim Nos commonefaciat, vt tempestiuè, pro vt res postulat, de opportuno remedio excogitare, & prouidere possimus.

Et quoniam aliquando post celebratum matrimonium, & cohabitationem euenire poterit, vt coniux alterius coniugis mores fastidiat, & ob infirmam valetudinem, vel sterilitatem, vel quid simile aliud ab eius etiam consortio, ne dum thoro abstinere velit, quod sacri canones solum propter fornicationis culpam, & quidem probatam licere tantum volunt; ideo Parochis omnibus seriò præcipimus, & iubemus, vt statim atque dissētiones, & rixas huiusmodi animaduerterint, prudenter, & paternè coniuges ipsos moneant, ne ex animi leuitate, & inconstantia populis & graues sint, & scandalosi: quinimo alicuius insignioris theologi ope & auxilio vtantur, quatenus coniugibus explicetur & grauitas huius criminis, & circa hoc sacrorum canonum decreta recitentur,

quibus eauetur ne vnquam istiusmodi coniugum separatio, nisi Ordinarij auctoritate in iudicio firmata probetur.

Denique singulis animarum curatoribus mandamus, vt librum apud se habeant, in quo celebrati matrimonij dies, locus coniugis vtriusque, testium nomina, & ipsius ministri, qui sine nostra speciali facultate, vel Vicarij Generalis, alius à Parocho non sit: & si alius, semper cum eiusdem Parochi assistentia. Quæ omnia fideliter describantur, sicut & habitæ denunciationes ante ipsam celebrationem, & contrahentium benedictionem.

SESSIONIS TERTIAE

De Sacrosanctis Ecclesijs, eorumque cultu.

CAPVT I.

De constructione Templorum.

VT in ecclesijs, quæ domus Dei sunt, quas cum primum decet sanctitudo debi-

debitus ipsi Deo cultus tribuatur, sacrorum conciliorum decretis, & sanctissimorum Pontificum cõstitutionibus inhærentes: primum omnium iubemus, vt nulla de nouo sine nostro consensu condatur, & excitetur; quem tum demum præstabimus, cum de necessarijs sumptibus, cum ad constituendam dotem, pro ecclesię, & altaris ornatu, ad necessarium victum sacerdoti, clericoque suppeditãdum; ad supellectilem tum ad celebrandum, tum ad altare instruendum, nihil omnino desiderari nobis constiterit.

Oratoria domestica, in quibus ex Summi Pontificis facultate, sine vllo tamen parochialis ecclesiæ præiudicio celebrari potest, tum ab omnibus alijs domesticis vsibus aliena, & libera, tum decenter ornata, & instructa esse debebunt, ideoque vel à nostro Vicario Generali, vel ab alio viro graui de eius mandato, antequam primò missa celebretur, visitentur.

Sicubi fenestræ sint, per quas audiri diuina officia, spectarique sacra mysteria ex via possint, vel obstruantur, vel specularibus, tela uè claudantur. Altare maius eo semper sta-

tuatur in loco, vbi supereminear, & fidelium prospectui facilè pateat. Et si ecclesia sit parochialis, labrum ad aquæ benedictæ vsum, marmoreum si fieri commodè possit, paratum ecclesiam ingredientibus sit, iuxta fontem baptismalem: neque ab eo longè sacrarium extrui deberet. suggestum, vel marmoreum, vel ligneum affabrè elaboratum, vel panno serico circumuestitum è latere Euangelij sit. Et chorum, sicut & in Ecclesijs Collegiatis propè altare maius sedibus varijs pro ministrorum varietate distinctũ habeat. Nihil denique eorum desit, quæ ad cultum, ornatumque tàm sacro loco congruentem pertineant. Et quia in omnium ecclesiarum ingressu fons ad aquam benedictam primò patet, quolibet die sabbathi diligenter expurgandus, & sæpius etiam, si necessarium fuerit, nouaque aqua benedicta super effundenda, videtur.

Ecclesię ita crebrò purgẽtur, vt in ijs nullæ vnquam sordes conspiciantur. confugiẽtes ad ecclesiam quacumq; ex causa ad Nos deferãtur, vt prouidere possimus, ne, dum immunitate gaudent, cum aliorum scandalo viuen-

uētes, male de ipſamet eccleſia mereātur. Eccleſiarum, vel ſacriſtiæ Rectores prouideāt, ne eo tempore, quo miſſa, vel diuina officia celebrantur, vel ſacra concio habetur, pro foribus ipſius eccleſiæ, vel iuxta fontem aquæ benedictę ad cōfabulationes quiſquam cōſiſtat, tum propter loci reuerentiam, tum vt ingredientibus, & egredientibus, vel viris vel mulieribus liber pateat aditus.

Quicumque ſunt adminiſtratores fabricæ cuiuſcumque eccleſiæ, nouerint iuxta ſacri concilij Tridentini decreta ad noſtrum beneplacitum ſingulis annis peractæ adminiſtrationis ſe rationem redditurος.

CAPVT II.

De ſplendido Eccleſiarum cultu.

VNiuerſis, ad quos eccleſiarum cura pertinet, illud præcipimus, vt nihil in ipſis eccleſijs minùs decorum, vel indecens videatur neque ſolum ab interioribus eccleſiæ partibus, & præcipuè ab altaribus ve-

verum etiam ab exterioribus sordes omnes amoueantur.

Altaria, licet omnia egregiè constructa cupiamus, lignea tamen permittimus dummodo ara lapidea insit, siue sit illa portatilis, siuè fixa, quam vbique firmiter, & æqualiter, eminētem tamen ita, vt discerni tactu possit, iuxta rubricas missalis, collocari iubemus, quæ saltem illius sit magnitudinis, vt hostiā, & calicem omnino contineat.

Vnumquodque altare semper decēter ornatum sit: pallia, quibus altaria vestiuntur vel ex panno serico, vel ex inaurato corio confecta sint, eaque pro varietate colorum, quos ecclesiæ ritus, & rubricarum præscripta postulant, semper quoad fieri poterit, mutentur. singula altaria tribus etiam mappis mundis instructa sint, quarum superior ita protēdatur, vt ad imam vsque altaris partem pertingat. Item crucem, & à lateribus duo decentia candelabra. omnia deniq; ad sacrificium necessaria ita aptè suis locis disposita sint, vt nitor vbique, & splendor domus Domini conspiciatur.

Et quia ad ecclesiarum nitorem facit sa-

cristia, ea ecclesiæ amplitudini respondeat, & multitudini ministrorum inseruientium, in ea præter constructas mensas, super quibus sacerdotales vestes parantur, sint vnum vel plura armaria ad omnem ecclesiarum supellectilem commode conseruandam. Aquarium præterea ad abluendas sacerdotum manus: genuflexorium, vbi preces dicendæ ante, & post missam à sacerdotibus recitari possint. Et ij quorum interest hæc, atque omnia necessaria, vt munda sint diligenter curent.

Quia multa sunt commoda, quæ campanarum sacratarum vsus afferre hominibus consueuit, nulla sine campanili, eoque campanis instructo ecclesia conseruetur.

Si aliquid ex supellectili sacra, quis alienandum existimauerit, caueat ne id sine nostro consensu, & expressa licentia faciat: qui vero in suos vsus aliquid couertere præsumpserit, meminerit se reum futurum pœnarum, prout in Bulla *Sixti IV.* fel. record.

Cuius sancti nomini ecclesia quæque dicata sit, eius imaginem, si commodum sit, non solum in ipsa ecclesia, sed & supra portam ipsius collocari, laudabile ducimus.

De-

Denique curent omnes, ad quos ſpectat, quæ Pij V. Pontificis max. ſanctione cautæ ſunt, inuiolabiliter obſeruari. Vt nimirum, ſicut loquitur ſanctus Pontifex, humilis ſit ad eccleſias, & deuotus ingreſſus, quieta cõuerſatio, deuotis orationibus inſiſtatur. Nullus ſeditionem faciat, tumultus excitet, clamores moueat, impetumue committat, ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, immoderatus ſtrepitus omnis litigiorum, atque alia quæcumque, quæ diuinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra eas deambulare audeat, nullus tergo ad ſanctiſſimum ſacramẽtũ verſo irreuerẽter ſedeat. Hæc ferè sũt ipſius Conſtitutionis Pontificiæ verba, quibus clarè oſtendit quantam in eccleſijs requirat à Chriſti fidelibus reuerentiam.

CAPVT III.

De Sacrificio Miſſæ celebrando.

QVod attinet ad diuinum, & verè propitiatorium miſſę ſacrificium, in quo viuifi-

ificam illam hostiam, quæ semel in ara cru-
is cruenta oblata est, idem nunc offerens
Christus Dominus sacerdotum ministerio
icruentam quotidie offert, vt per hanc illius
ruentæ vberrimi fructus ad nos deriuentur.
t si pro eius ineffabili dignitate, atque præ-
antia satis numquam decerni potest de il-
us ministerio, & reuerentia; ex Tridentini
oncilij, nec non, & Ritualis Romani Pauli
. Cæremonialis Innocentij X. iussu edito-
um præscripto seruanda proponimus.

Probet se ipsum celebraturus sacerdos, vt
lethalis alicuius culpæ sibi conscius sit,
umquam nisi necessitate penitus vrgente,
confessarij copia deficiente, ad altaris mi-
isterium sola contritione interna fretus ac-
edat, sed sacramentalis pœnitentiæ medici-
am omnino præmittat.

Matutinæ saltem etiam horæ præeant; &
uantum per tempus licuerit orationes, &
reces: omnia deinde, quæ recitanda erunt
x missali mature prælegat, vel saltem præ-
ideat, signisque distinguat; vt nullus postea
iter celebrandum error, nulla cum adstan-
um scandalo contingat hæsitatio.

M Post-

Postquam manibus lotis sacras vestes singulis proprias orationes adhibendo sumpserit, ab omni penitus collocutione abstineat, & sese colligens, mente tota in sacris mysterijs, quæ tractaturus est defigatur.

Sacra indumenta, quoad eius fieri poterit, colori, quo pro festorum, & temporum qualitate ecclesia vtitur, conformia sint. Atque vt internæ cordis puritati, quæ requiritur, externa quoque respondeant, tum sacræ ipsæ vestes omnes, & altarium ornamenta, cæteraque instrumenta, tum præcipuè patenæ, & calices, quorum cuppa, vel aurea, vel argẽtea intus deaurata debet esse, corporalia deniq; & purificatoria mũda, ac nitida parẽtur.

Dum sacra facit sacerdos, absque vllo capitis integumento apud altare semper sit iuxta canonum dispositionem; vsum verò anuli nedum doctoribus, & canonicis, sed & ipsis protonotarijs non participantibus omnino prohibemus.

Vnus saltem clericus talari veste, & cotta indutus celebrãti ministret, neque confessionem sacerdos inchoet, nisi prius omnia videat suis locis disposita.

Ni-

Nihil memoriter recitet, sed omnia ex miſ-
ali libro, præſertim canonem, & nè verbum
uidem vlla in parte vel addat, vel immutet.
ſæculares interim ab altari congruenti ſpa-
o ſemoti, qua decet animi demiſſione, atque
ttentione huic ſacrificio interſint: quod ſi in
cclefia vel excommunicatus, interdictuſue
liquis ſit, omnino arceatur: vel ſi recuſet, ſa-
erdos ſacra myſteria intermittat.

Miſſæ non niſi hora competenti iuxta
anonum præſcripta, & loci conſuetudinem
elebrētur: in noſtra Metropolitana, & Col-
giatis. Vnum ſacrum ſemper in meridie ce-
brari poterit. Et quiſque ſacerdos caueat
ngas in altari moras cum populi ſcandalo;
eque enim vt vni ſatisfaciat, compluribus
iſplicere fas eſt.

Peregrini ſacerdotes, qui ignoti ſunt abſq;
oſtra, vel Vicarij noſtri facultate ſcripto
btenta ad ſacra non recipiantur; & ſine ſi-
ili licentia in sāctimonialium eccleſijs ne-
o celebrare præſumat, quæ pro vna tantum
ice concedetur, niſi cappellani, vel confeſ-
rij officio fungatur.

In altari, in quo Archiepiſcopus ſacra fā-

ciet; nullus sine speciali eiusdem facultate eodem met die celebrare audeat, vt is tantæ dignitati honor deferatur.

Nouas missarum obligationes perpetuas nullus omnino sacerdos admittat sine nostra licentia, quoniam Vrbani *VIII.* constitutionem de celebratione missarum in omnibus volumus obseruari.

Ne vlli offensioni locus detur, certus missarum, vel candelarum in missæ celebratione numerus, quod superstitionem sapit, omnino tollatur.

Licet in altari priuilegiato missæ non nisi pro defuncto celebrari debeant, non tamen diebus festiuis iuxta sacros ritus permittatur, nisi sit præsens corpus defuncti. Quicumque verò celebrat ex legati obligatione, sine tamen loci assignatione, locum delectum ad celebrandum Nobis reuelet, vt facilè possimus de legati satisfactione perquirere.

Missas omnes, siuè pro viuis, siuè pro defunctis à sacra rituum congregatione non approbatas & ipsi reijcimus, & prohibemus.

Quotiescumque festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in diem Parasceues inci-

inciderit, moneantur Christi fideles, ad sacri auditionem, cum nullibi eo die sacrificium celebrari possit, nullo pacto teneri.

Denique in missis recenter initiatorum omnes abusus omnino prohibemus.

CAPVT IV.

De diuinis officijs celebrandis.

QVi in cœlesti, ac triumphali illa Hierusalem, post dira huius vitæ certamina, gloria, & honore coronati exultant, ne quidem per momentum diuinarum laudum organa suspendunt. At nos miseri, qui ancipiti pugna luctamur, & multis humanæ necessitatis vinculis adstringimur, vix Deo debitas laudes persoluimus. Qua propter illud à sancta matre nostra ecclesia sapientissimè prouisum, & institutum est, ac sub præcepto mādatū, vt ipsius, hoc est, cōmuni omniū Christi fideliū nomine septies in die laudes Domino dicantur, quas horas canonicas appellauit. Quādo ergo p eas sacrificiū laudis Deo immo-

molare dicimus, modis omnibus prospiciẽdũ est, ne culpa, aut incuria nostra quotidiani huius sacrificij fumus sine odore suauitatis ascendat.

Quamobrem, vt omnia, quæ ad rectam, atque inculpatam illius oblationem pertinent, rite, & qua decet deuota animi sedulitate fiat; canonici, ceterique Cathedralis Ecclesiæ, aut alterius Collegiatæ, vel Parochialis choro addicti, ad consuetum campanę signũ, modesto incessu ad ecclesiam se conferant, & postquam ante sanctissimam Eucharistiam pro vniuiusque deuotione orauerint, recta ad sacristiam pergant: vbi vestibus singulorum ordini conuenientibus, absque indecoro vllo strepitu, aut immodestis confabulationibus induti, pulsata parua campana, qua ad chorum solent euocari, progrediantur; & facta tum altari profunda reuerentia, tum Archiepiscopo, si aderit, ad proprias sedes accedant. Tum dato signo officium omnibus stantibus inchoetur; eodemq; deinceps tempore omnes sedeant, assurgant, caput detegant, & genua ponant, prout officij ratio postulauerit.

Con-

Concorditer alternis vocibus psallant, & non properè, aut perturbatè, sed distinctè, ac deuotè omnia pronuncient: & dum officium persoluitur, illud priuatim non recitent, neq; quid aliud legant. Et cum in missa tacente choro secreta peraguntur, tanti sacrificij mysteria deuotè, vt par est, attendant, & contemplentur; nunquam obstrepant, aut rideant, aut sedibus incomposito corpore cohæreant, aut de extranea aliqua re colloquantur.

Sacerdotes, cæterique omnes cuiusuis ordinis clerici ad chorum venire non audeāt, præterquàm cum decenti veste talari, clerícali bireto minimè sordido, caligis honesti coloris, & corona in summo vertice pro sui quique ordinis ratione, & sine capillitio; quod si aliter minùs decenter vestiti accedere non dubitauerint, à chori Præfecto nullo modo admittantur.

Qui verò officio iā inchoato venerit, choro ad suā sedē accedat, & nullus à choro discedat, nisi aliqua vrgeat necessitas, & tūc, nō nisi annuente Præfecto chori: & horarijs precibus absolutis, diuinisque peractis officijs, mutuis salutationibus præhabitis, cum alijs

omnibus ad ſacriſtiam redeat.

In Cathedrali noſtra Eccleſia, Collegiatis, & Parochialibus, abſoluta hora tertia, miſſa, quæ conuentualis dicitur, celebretur; niſi ſit iuxta ritum celebranda pro defunctis: diebus Dominicis aſperſio aquæ benedictæ à celebrante præmittatur, vel à ſacerdote hebdomadario, ſi Archiepiſcopus ipſe celebraturus fuerit.

Quocumque die ſabbati expleto completorio, de more aſperſio aquæ benedictę, & benedictio ſubſequatur. Tum preces pro defunctis Archiepiſcopis, ſacerdotibus, ceteriſque Chriſti fidelibus recitentur; & ſemper, antequam choro abeant, oratio illa recitetur: Sacroſanctæ, & indiuiduæ &c. cum Verſ: Beata viſcera &c. & Pater, & Aue, tum ad lucrandas indulgentias à Summis Pontificibus conceſſas, tum ad ſatisfaciendum pro defectibus in perſolutione diuinarum laudum.

Horæ ipſæ canonicæ pro dierum qualitate aut legantur, aut cantentur, prout Præfecto chori, & Magiſtro cæremoniarum conuenire videbitur; & quicumque ſunt neceſſarij libri ad ſacram pſalmodiam, & quidem cum hym-

hymnis iuxta reformationem Vrbani *VIII.* prouideantur: Magiſtro verò cæremoniarum nullus in choro audeat non obtemperare; quinimo omnes ab ipſius nutibus in diuinorum officiorum celebratione dependeant.

Archiepiſcopo celebraturo omnes, prout de more, iuxta Magiſtri cęremoniarum præſcriptum præſto ſint, & opportunè ad Eccleſiam accedant, vt quiſque pro ſuo munere aſſiſtere poſſit, vel miniſtrare.

Et quia ſanctiſſimus Pontifex Innocẽtius diuina prouidentia Papa Decimus Clementis *VIII.* cæremoniale accuratè renouatum omnibus Eccleſijs obſeruandum propoſuit; Nos tanti Pontificis ſanctionibus iuſtiſſimis inhærentes omnibus, & ſingulis cuiuſcumque Eccleſiæ Præfectis, Rectoribus, ſuperioribus, vel quocumque alio nomine nũcupatis præcipimus, vt in diuinorum officiorum, & miſſarum celebratione omnia, iuxta ipſius cæremonialis renouati præſcripta, ſeruentur.

(:✠:)

CAPVT V.

De debita Templis veneratione, & reuerentia.

DOmum Dei sępius ecclesiam diximus, & quam ipse Dominus domum orationis appellauit, cauere maximoperè debemus, ne aliquando iure de nostra irreuerentia conquestus, quod sacerdotibus Mosaicæ legis exprobrauit, repetere cogatur: Et vos fecistis illam speluncam latronum.

Nihil igitur in ecclesia agatur, vel permittatur, quod à religionis, & pietatis studio sit disiunctum. Nullus vel clericus, vel sęcularis ibi deambulando, colloquendo, nugando, iurgando, aut de sæcularibus negocijs tractādo tempus obsumat. Omnes strepitus, clamoresque, risus, & cachinni ex nuptijs celebratis, sicuti luctus indecori, & vlulatus ex defunctorum asportatione penitus arceantur. Ludus permittatur nullus, nullæ nundinæ sub pœnis Pij V. sanctione decretis.

Vsum seruandi victualia quæcumque, vel profanam supellectilem, quem sua sanctione

edita

edita in Lateranensi Concilio *Innocentius III.* fel. record. non solum in ecclesijs consecratis, verum in oratorijs, & cœmeterijs sub grauibus pœnis prohibuit, cui sanctissimo decreto inhærentes, & Nos etiam sub ijsdem pœnis interdicimus.

Ecclesiarum omnes Rectores seriò inuigilent, ne venalia ex ipsis ecclesię parietibus oratorij, vel cœmeterij affixa per summum dedecus pendeant. Quinimo & ipsæ dulciariorum mensæ, & bellariorum diebus festis exponi solitæ omnino extra ecclesiarum, vel cœmeterij, & oratorij gradus sub pœnis ad nostrum arbitrium, si contra præsumpserint, apponantur.

Tabernas ad ludos, & compotationes, & circulos ad histrionicos lusus, sicut & pellices ab ijs per quinquaginta, & amplius passus distare semper volumus.

Schedulas, quibus vel venalia, vel locabilia, vel ad iudicia forensia spectantia continentur, ad valuas, vel ecclesiæ parietes nullo modo affigi permittant, affixas lacerent, de auctore inquirant, grauiter moneãt, & si cõtrafacere audeat, debitas pœnas omnino luat.

Nullum in ecclesia opus artificiale fabricari, vel compingi, nisi propter ipsius met ecclesię vsum, & necessitatē volumus, vt omnia ab ecclesia Dei strepitosa prorsus arceantur.

Caueant ne mulierculæ, de quibus probabilis aliqua suspicio sit, sacrosanctis templis ad miscenda, & in longum protrahenda cum viris colloquia abutantur: venaticos verò canes, & homines accipitres, vel prædatrices alias volucres gestantes pro foribus ecclesiæ vix consistere, ipsam verò ingredi nullo modo permittant.

Pauperes in ecclesia eleemosynam flagitantes, si moniti non paruerint, eijciantur: foribus tamen ipsius ecclesiæ assidere; atque ab ingredientibus, & egredientibus petere permittatur.

Nullus sacerdos, siue sacrista, siue alius in ecclesia grammaticam pueros docere præsumat, sed solum statis diebus, & horis doctrinę Christianæ rudimentis instituere potuerit.

Missarum sacrificijs expletis nullas ad scandala omnia tollēda ecclesias apertas volumus, exceptis nostra hac Metropolitana, & Parochialibus: Collegiatæ verò pandantur

tem-

tempore officiorum, & ante solis occasum omnino obseruentur.

CAPVT VI.

De legatis ad pias causas.

NE vnquam piç testantiũ voluntates depereant, vt loquitur Tridentinum, & eorum conscientias, ad quos executio spectat, onerãdi occasio detur, omnibus notarijs, qui vel testamenta, vel codicillos, vel legata ad pias causas exceperint, vel quocumque modo extare resciuerint, prçcipimus, vt infra quatuor menses à publicatione huius constitutionis Synodalis ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem deferant. Et in posterum quæcumque in fauorem piæ causæ publica fide conscripserint, volumus, vt illa intra mensem à testatoris obitu vel Nobis, vel nostro Vicario Generali denunciẽt, & fidem contestatã apud acta nostrç curiç exhibeant etiam non requisiti; contrafacientes excommunicationis latæ sententiæ pçnæ ipso facto incurrẽdæ subijcimus, à qua absolui non poterunt, nisi præmissa denunciatione loco pio satisfecerint de damnis illatis propter exactio-

tiones ab administratoribus ex iuris ignorãtia neglectas.

Legatum puellę relictum ad matrimoniũ ineundum, & si professionem religiosam postea emiserit, poterit tamen consequi, cum nobiliores contractas nuptias cũ Agno cœlesti existimemus.

Legato relicto cum onere celebrandi missam de sanctissimo Rosario in specie à sacerdote, & non in ecclesia fratrum Prædicatorum, poterit quis satisfacere, si celebrauerit missam votiuam de Beata Virgine iuxta rubricas missalis Romani.

Si legatũ fuerit adeò tenue, vt pro iniuncto onere non sufficiat, Sedes Apostolica cõsulatur, & iuxta ipsius decreta statuendum.

Omnes animarum curatores hortamur in Domino, vt vbi quod de huiusmodi legatis ad loca pia pertinentibus quoquomodo resciuerint, Nobis, vel nostro Vicario Generali, vt in actis nostræ Curiæ referatur, denuncient; ne & ipsi retardatæ executionis in diuino iudicio arguantur.

Nemo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrẽda legata co:
di-

dicillos, vel testamenta ad pias causas impedire præsumat, à qua absolui, nisi prius satisfacto de læsione loco pio, non poterit. Quicumque verò ex legato aliquid locis pijs soluere tenentur, infra mensem à publicatione huius constitutionis Synodalis, nisi moralis impossibilitas excuset, omnino ad solutionẽ sint parati, si contrafecerint, non absoluantur, quia Nobis casum hunc reseruatum omnino volumus. Si quos verò in exequendis piorum hominum voluntatibus iuxta sacros canones, nostrasq; constitutiones pœnis multandos cognouerimus, neglectam talem exequutionem ad Nos met ipsos, tanquam ad Sedis Apostolicę Delegatum reuocamus.

Denique omnibus Parochis, & Rectoribus, siuè Ecclesiarum, siuè Confraternitatum præcipimus, vt in sacristia publicè curẽt exponi tabulam, in qua non solum legata pro missis celebrandis, sed etiam siuè pro puellis collocandis, siuè pro sanctorum festiuitatibus, alijsque pijs operibus promouendis descripta sint, tum vt memoria benefactorum, tum vt adimplendi suo tempore legati, recẽs semper, atque præ oculis habeatur.

CA-

CAPVT VII.

De Anniuersarijs, & deferendis Cadaueribus ad Ecclesiam.

SAnctissimum Ecclesiæ morẽ, & institutũ animas defunctorum omnium & sacrificijs, & precibus iuuandi, vt à peccatis soluantur, omnibus commendatum volumus. Et ne vnquã Serenissimi Regis Guilelmi cognomento Boni memoria depereat, qui Regia planè munificentia, & singulari pietate nostram hãc Metropolitanam Ecclesiam & à fundamentis excitatam ornauit, & dotauit, die decima octaua Nouembris (si Dominica non fuerit impedita, quia tunc in feriam secundam transferetur) non solum eius tumulum solemni pompa volumus ornari, sed etiam omnibus in hac nostra ciuitate degẽtibus sacerdotibus præcipimus, vt sacrũ pro illius anima Deo offerant, & ministri omnes Ecclesiæ, & officiales ciuitatis adsint Nobis pontificaliter celebrantibus.

Anniuersaria cætera statis temporibus ex dispositione testamentaria celebrãda in omnibus

nibus nostræ diœcesis ecclesijs, vel oratorijs caueant illi, ad quos spectat, ne suo tempore fieri negligantur, si quis verò ex illis segnior fuerit; ad nos deferatur.

Religiosum exequiarum, ac funerum officium ad Parochos pertinet. Qua propter studeant ecclesiarum Rectores ritus, ac sacras cæremonias circa funus ita peragere, vt Christianæ, ac paternæ pietatis tantum speciem præseferant, omnique turpis cupiditatis quæstum ex ea re faciendi suspicione careant: sed quemadmodum pactiones, ac molestas efflagitationes, quæ prauitatis simoniacæ, aut auaritiæ labem præseferre videntur, in vniuersa hac nostra diœcesi à funeribus ipsis omnino exulare volumus, & mandamus; ita piarum consuetudinum vsum pro more, & qualitate loci ab omnibus retinendum esse, & ecclesias debitis eleemosynis non fraudandas declaramus. Quod si quis ita pauper excesserit, vt præ inopia hæredes, aut relictũ patrimonium sumptus ad sepulturam suppeditare nequeant; is gratis à Parocho sepeliatur, & iuxta loci cõsuetudinẽ.

Præficas, quas lamentatrices, siue repe-

titrices vocant, ad planctus & eiulatus supra cadauera defunctorũ excitãdos adhiberi solitas sub pœna excõmunicationis vetamus.

Caueant quicumq; ad funus adhibiti fuerint, dum funeris ordo procedit, vel in ipsa ecclesia, dum statæ preces de more iuxta præscriptos ritus in Rituali Romano deuotè recitantur, ne ridendo, aut colloquendo, vel quid aliud minus religiosè agendo, scandalum afferant ijs, quorum mentes ad preces pro defuncti anima offerendas exemplo debent excitare: cadauer iuxta sacri Concilij Tridentini decretum breuiori via ad ecclesiam deferatur.

Ante solis ortum, vel post eius occasum, dum diuina celebrantur officia, vel maioris missæ mysteria fiunt, vel habetur concio, defuncti corpus in ecclesiam non inferatur. Et si laici cadauer fuerit cuiuscumque tandem sit ordinis, & dignitatis, clerici non deferant, sed laici. Neque verò in defuncti ædibus excitari altaria vllo modo permittantur.

Statim atque in humandis corporibus, vel in feretris animaduerterint Parochi aliquid, quod superstitionem sapiat, vel quod à vanis

mulierculis possit ad stultos vsus conuerti, grauiter, & acerbè corrigāt, & pœnam etiam excommunicationis si opus fuerit intentent.

Vsurarium manifestum ecclesiastica sepultura priuauit sua sanctione Gregorius X. fel. record. nisi de eiusdem mandato verè post ipsius mortem satisfactum fuerit, à quibus vsuras exegerat, vel saltem in curia spirituali per certam sponsionem cautum fuerit: circūspectè proinde Parochi se gerant, ne in excōmunicationem à Clemente V. latam in concilio Viennensi incidant. Et quæcumque Rituale Romanum circa sepulturam denegandam præscribit obseruēt, & vbi aliquod exoriatur dubium, ab Archiepiscopo consilium petant.

Qui repentino, & inexpectato exitu extincti sunt, ne tam cito, & properè sepulturæ mandentur: præcipuè si qua fuerit orta de illorum morte suspicio, ne videamur curiæ seculari necessariam inspectionem ad cognoscenda delicta denegare.

Denique cum primum de Archiepiscopi morte nuncium perlatum fuerit, omnes sacerdotes non modo ciuitatis, sed etiam totius

diœcesis pro illius anima sacrificium offerēt, vel eadem ipsa accepti nuncij die, vel si solemniori officio impedita fuerit die proximo insequenti, quo nullum aduersetur impedimētum. Episcopi Suffraganei admoniti de illius morte vel à Vicario capitulari, vel ab ecclesiæ Præfecto, offerre pro eiusdem anima preces, & hostias prætermittere non deberent. Quin & Rectores omnium ecclesiarum post diem Commemorationis omniū fideliū defunctorū anniuersariū pro defunctis Archiepiscopis instituant: & infra eamdem octauā aliud pro prædecessoribus defunctis celebrandum æquum omnino existimamus.

CAPVT VIII.

De Sepulchris, & Cæmeterijs.

QVamuis vbi vis possent Christianorum corpora sepeliri, quia vt inquit Chrysostomus: Domini est terra, & plenitudo eius; vetus tamen ea est consuetudo, sepulchra in ipsis ecclesijs construendi, in quibus defun-

functorum corpora conderentur.

Ecclesiasticam sepulturam negauit hæreticis Nicolaus *III.* mortuis in duello, vel in taurorũ ludis, & spectaculis huiusmodi Pius V. *I*tem & mutuo se confodientibus, si non fuerint confessi semel in anno: blasphemis, & notorijs peccatoribus, nec nõ, & nominatim interdictis, & ab ecclesiæ ingressu prohibitis, & excommunicatis negandam esse declarauit, nisi in mortis articulo confessionem petierint, vel saltem Beatissimam Virginem deuotè nõ inuocauerint, sacra cõgregatio Eminentissimorum Cardinaliũ super Episcopis, & Regularibus. Qui cõtrafacere præsumpserit, nouerit iuxta sacrorum Pontificum constitutiones, vel futurum se reum peccati mortalis, vel etiam excommunicationis pœnam contracturum, prout in præ citatis constitutionibus continetur.

Si qua sepultura ita propè altáre quodcumque posita est, vt ea sacerdotis celebrantis pedibus conteratur, siuè sit illa laicorum, siuè clericorum, vel etiam Prælatorum, celebrari in ipsis altaribus omittatur, sicut in nostra Visitatione præscripsimus.

Se-

Sepulchra ad laicorum, & clericorũ corpora recipienda debent omnino esse inter se discreta: imò, si fieri posset, alia esse deberent pro canonicis, & sacerdotibus, alia pro clericis ordinis inferioris, iuxta Ritualis Romani præscriptum: sicut & pro puerulis recenter baptizatis locus assignandus esset peculiaris in ecclesia, vel cœmeterio.

Quodcumque cadauer, siue loco depositi, siue perpetuæ sepulturæ humatum fuerit, ab illa ecclesia, licet exempta, sine Ordinarij licentia, aliò asportandum non est.

Sepulturæ quæcumque ita cum ecclesiæ pauimento cohæreant, vt earum nihil omnino promineat: & ad vim fætoris arcendam duplici, vel ex marmore, vel ex lapide alterius generis claudantur operculo. Neq; vnquam supra terram excitentur contra Pij V. constitutionem.

Cœmeteria ita constituenda sunt, vt brutis patentia non sint: ideoq; perpetuo muro septa esse debebunt; sepulchra suo ordine disponantur, nihilque ibi videatur loci sanctitati dissonum, sed omnia præseferant pietatem.

CA-

CAPVT IX.

De Processionibus.

AD processiones, quarum vsus tum ad placandam diuinæ vltionis iram, tum ad Dei ipsius opem largius implorandam, tum ad gratias pro exoratis agendas piè retinetur, omnes qua par est religiosæ pietatis specie, reuerentia, & modestia conuenire debent.

Omnes ergo cuiuscumq; illi sint gradus, & ordinis etiam regularis, qui interesse tenentur, vestibus mundis, & decentibus; & clerici superpelliceis induti, crucem graui, & modesto incessu, & reuera supplices prosequantur, & non nisi bini, atque congruo, & certo inter binorum ordines intermisso spatio, procedant iuxta Ritualis Romani, & cæremonialis Innocentij X. editi præscriptum, psalmos hymnosque alternatim cantantes: nostræque curiæ satellites seriò inuigilent, ne laici, cuiuscumque gradus, ac conditionis sint, inter clericos, regulares, vel confratres progredientes interiecti incedant.

Pro-

Processiones ordinare: ideſt vnde debeant progredi, qua via, & quo tandem regredi, non pertinet, niſi ad Archiepiſcopum, & eius Vicarium Generalem, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, cui derogare pro libito poſſumus.

In die, quæ ſacroſancti Corporis Chriſti cultui dicata eſt, quaque illud per ciuitatem ex pio ſanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto ſolemni celebritate defertur, nullo modo ſacerdotum humeris cuſtodia deferatur, neque vllæ ſint per viam ex ignibus artificialibus extructæ machinæ, nullæ præcedant choreę, & ſaltus, neque vlla ſimul cum Chriſti corpore reliquia circumferatur.

Tum in hac, quæ omnium proceſſionum eſt celeberrima, tum in alijs, caueant confratres incedentes à dulciariorum comeſtione, & compotatione, ſunt enim & loco, & tempore importuna, & ſcandaloſa.

Proceſſiones nocturnæ, niſi ex noſtra ſpeciali facultate, quæ ſolum grauiſſima aliqua de cauſa concedetur, tollantur: neque nouas vllus introducere præſumat.

Ad proceſſiones ſtatas illi conueniāt pręmul:

mulgato edicto, qui ex consuetudine conuenire solent sub pœnis in eodem propositis, & nisi aliter moneantur, semper primo, vel hic ad ecclesiam cathedralem, vel per diœcesim ad matricem se conferant. Et clerici quidem cum bireto suo, numquam cum galero, vel cum chirotecis videantur, sed in habitu graui, & decenti.

Denique aduertant Parochi, ne in processionibus, quæ fiunt infra octauam Corporis Christi lumina, & faces desiderentur, ideoque præter clericos ecclesiæ addictos, & confratres alicuius sodalitatis, etiam pios alios fideles inuitare, ad deuotum obsequium pręstandum ex sua paræcia poterunt.

CAPVT X.

De Festiuitatibus Sanctorum celebrandis.

QVamuis sanctorum natalitios dies possimus magis ipsorum imitatione virtutum, quam templorum ornatu, & populi frequentia celebrare; nihilo tamen minus, quia & talis laudabilis institutio & eorum

& diuinæ gloriæ deseruit; ornatum templorum non improbamus, dummodo talibus peristromatis ecclesiæ muri vestiantur, in quibus nihil indecorum, nihil indecens, inhonestum, nihil quod oculos intuentium possit offendere videatur: quod & multo magis seruandum in imaginibus iuxta decretum Vrbani VIII.

Bombulos tormentarios, quos masculos vocant, nõ prohibemus, tamen quia plerumque periculum aliquod in illorum explosione imminere poterit, locus omnino deligatur in planitie aliqua peropportunus, qui à populi frequentia remotus vsum reddat non noxium, sed festiuum.

Ad ecclesiæ valuas, si fuerit indulgentia plenaria concessa, apponatur tabella, vel saltem chartula, in qua conditiones in Apostolico diplomate appositæ contineantur, & recognitiones Sanctæ Cruciatæ.

Altare maius in his celebritatibus splendidiore ornatu præfulgeat, crucem habeat, & à lateribus sex decentia candelabra, sicut & cętera omnia ad minus quatuor cum suis vasis, & floribus interdistincta.

Et

Et quia plerumque non pauci sacerdotes ad celebrandum conuenire solent, animaduertant opportunè Præfecti ecclesiarum, ne vestes sacerdotales, aut ministri desiderẽtur, omniaque ita disponant, vt nulla perturbatio oriatur.

A sacris cantoribus non nisi sacra præcinantur, neque vllo modo cantiunculæ italico sermone compositæ permisceantur: & meminerint vesperarum officium eo tempore inchoare, vt antequam vespertinæ salutationis Angelicæ signum detur, absoluta celebritate, possint fores ecclesiarum occludi.

Illud denique ecclesiarum Rectores, & Cappellani omnes intelligant, comessationum mensas alias ab ecclesiarum vestibulis, & cœmeterijs à Nobis longè factas, potiori iure in huiusmodi festiuitatibus arcendas, ne inconditis clamoribus, & strepitu & deuoti populi frequentia, & sacra officia perturbentur.

(:✠:)

SESSIONIS QVARTAE.

De Regularibus, & Sanctimonialibus.

CAPVT I.

De his, ad quæ Regulares erga Ordinarium tenentur.

NE & hic Ecclesiæ nostræ nitor, religiosarum scilicet familiarum obseruantia desit, Sanctissimorum Pontificum, & sacrorum conciliorum decretis, & sanctionibus inhærentes, opportunum omnino existimauimus, ea in memoriam ipsis reuocare, in quibus ab Ordinario dependere illos sacri canones præscripserunt.

Et primo quidem nullum superiores regulares mittere audeant ad benedictionem pro cõcionibus in ipsorum ecclesijs à Nobis obtinendam, nisi prius fuerit ab ipsis examinatus de scientia, & de vita etiam, & moribus approbatus: si verò non in ecclesijs suæ religionis sint conciones habituri, id sine nostra

licentia est omnibus interdictum. In verbi vero Dei prædicatione meminerint, se Dei ministros, sanaq; doctrinā in multa patientia populis istillare debere, ne vnquam scādalis, & erroribus locus pateat. contrafacientes præter alias pœnas, iuxta dispositionem iuris à Nobis infligendas, à prædicatione omnino cessare debebunt: nec nisi satisfactione præhabita ad tale ministerium erunt reassumendi.

Festos dies, & ipsi iuxta Vrbani VIII. decretum superius recitatum seruent; neque in suis ecclesijs sacerdotem ad missę celebrationem admittant peregrinum, si facultatem non habeat à Nobis, vel nostro Vicario Generali subscriptam, cum præuio examine, de vita, moribus, fama, ætate, dote competenti, habitatione cum consanguineis, vel affinibus in primo gradu &c.

Tertiarios, siue Tertiarias in suis ecclesijs religiosi ad sacram cōmunionē non admittant, sed ad singulorum parochias mittant, vt possint ecclesiæ præcepto satisfacere, neque illorum, vel illarum confessiones audire præsumant, nisi à Nobis ad cōfessiones fidelium

vtriuſ-

vtriusque sexus excipiendas fuerint, approbati: neque vllus ex religiosis vel viaticum, vel Extremam Vnctionem illis ministrare præsumat.

Meminerint singulis annis oleum pro infirmis & ipsi renouare, ideoque ad nostram ecclesiam argentea, vel stamnea vascula deferant, in quibus erit asseruandum.

Sabbato sancto, nisi prius campanarum pulsũ nostrę Ecclesię, & per diœcesim, Ecclesię Maioris, siue Collegiatę, siue Parochialis audierint, cãpanas ipsi pulsare nõ audeãt.

Cetera omnia, quæ ad ecclesiarum nitorem, reuerentiam, & splendorem attinent ipsis maximopere commendata volumus, cum par sit, vt qui perfectiorem statum profitentur, ceteris omnibus in diuini numinis cultu semper præluceant.

Denique, quia iuxta Apostolica indulta Iudicem Conseruatorem sibi deligere possũt infra quindecim dies aliquem ex præpositis in nostra Synodo in dignitate constitutum, apud nostræ curiæ ministros nominẽt, quod si neglexerint, ipsorum causarum cognitionem ad nostrum iudicium auocabimus.

CA-

CAPVT II.

De alijs ad quæ Regulares tenentur ratione ministeriorum.

QVamuis prædicationis verbi Dei munus Pastorum propriè sit, & ad illos pertineat, & Nos aliquādo eidem satisfacere consueuerimus, nihilo tamen minus, quia, & alijs oneribus Pastoralis curæ deesse non debemus, Regulares præcipuè viros ad hoc ministerium admittimus. Volumus autem, vt non nisi selecti, admittantur: ideoque quotiescumque extra ipsorum ecclesias concionaturi sunt, præuio examine coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, & professione fidei emissa, facultatem in scriptis ad euangelicam prædicationem obtinebunt.

Ad audiendas confessiones, nisi preuio coram Nobis examine, & licētia obtenta, nullo modo exponantur, sub pœna suspēsionis ipso facto incurrenda: & nisi annum ætatis trigesimum compleuerint, ad mulierum confessiones excipiendas non admittantur.

Ad sanctimoniales verò audiendas nullo

mo-

modo accedant, nisi cum peculiari facultate in scriptis & ad certum tempus, vti solet: neque vllus cum prædecessorum Archiepiscoporum licentia accedere præsumat: cum omnibus similibus facultatibus abrogatis, ad nouum examen vocauerimus vniuersos regulares, idoneos approbaturi.

In priuatis oratorijs, & sanctimonialium ecclesijs sine nostra peculiari facultate nullus celebrare præsumat: si quis autem cum sãctimonialibus colloquia miscere ausus fuerit contra Vrbani VIII. cõstitutionem, Nos contra illum tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedemus.

Ad generales, siuè extraordinarias processiones conuocati, venire cum ea frequentia, qua par est, nunquam recusent, neq; nouum quid circa præcedentias attentare pręsumãt, sed iuxta morem consuetum locum teneant Si verò ad eorum ecclesias processio directa fuerit, inibique celebrari contigerit à nostræ ecclesiæ ministris, religiosa charitate, si quid forte desit, subministrent.

Peculiares processiones extra ipsorũ claustra nunquam faciant, ne iuxta templorum

ambitum quidem: etiam si ab vna ecclesiæ porta exeuntes per aliam ingrediantur, quod si extra muros ecclesiæ procedere voluerint; non nisi cum licentia, consensu, & cruce parochialis ecclesiæ debent id facere. Neque cum processiones siuè annuas de Sãctissimo Sacramento, Candelarum, & Palmarum, siuè menstruas de Cruce, de Rosario, de Monte Carmelo, de Cingulo sancti Frãcisci, de Corrigia sancti Augustini &c. habent, per claustra conuentuum mulieres admittant, nisi de expressa licentia Sedis Apostolicæ.

Conuentus noui, vel Monasteria, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, iuxta cõstitutiones Gregorij XV. & Vrbani VIII. sine nostra licentia nõ excitentur.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad orationem quadraginta horarum absquè nostra peculiari facultate exponere nullo modo audeant sub pœna interdicti; pro priuata aliqua tamẽ necessitate, clausa pyxide, portam tabernaculi aperiri permittimus ad deuotionem excitandam.

Secularium confessiones in priuatis domibus non audiant, nisi ægrotent, & tunc de-

audita confessione fidem scripto faciant, vt Parochus non possit de ouis sibi creditæ statu dubitare.

Nulli heremiticum habitum gestare liceat, nisi sub obedientia Prælati viuat, & votis religionis adstrictus, vt omnis scandalorum occasio tollatur.

CAPVT III.

Alia quædam circa Regulares notantur.

E Leemosynas licet per se, vel per suos fratres, quos couersos vocāt, Religiosi mēdicantes petere possint, laicis tamen cū capsulis ad mendicandum sine nostra speciali facultate vti non possunt. Neque eleemosynarum quæstores, quos quæstuarios vulgo appellant, cuiuscumque demum sint conditionis, instituere præsumant.

Meminerint superiores regulares notorie delinquentem subditum in nostra diœcesi aliò de industria transmissum ad nostram instan-

ſtantiam reuocandum eſſe iuxta conſtitutio-
nem Clementis VIII. ſub pœnis in ea con-
tẽtis: ſi in propria eccleſia regularis deliquerit
cum notorio ſcandalo populi; nouerit ſe-
cum iuxta concilij Tridẽtini diſpoſitionem
agendum eſſe; ſi verò extra clauſtra monaſte-
rij deliquerit, ex Gregorij XV. decreto à No-
bis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis erit
cauſa cognoſcenda.

A nouitio religioſam profeſſionem emiſ-
ſuro iuxta ſacri conc. Trid. decreta, Notarius
nullus renunciationem excipiat, niſi de no-
ſtra expreſſa licentia, vel Vicarij Generalis:
quod ſi ante profeſſionem habitam diſceſſe-
rit è monaſterio, renunciatio facta nullum
ſortietur effectum.

Suſcipere infantes in Baptiſmo, ſiuè in
Cõfirmatione natu iam grādiores veluti pa-
trini nullo modo religioſi viri poſſunt: ideoq;
iuxta canones non admittendi.

Pro defunctis regularibus extra ſui mona-
ſterij ſepta Parochi ius ſepulturæ prætende-
re nullo modo poſſunt: ideoque permitten-
dum, vt ad religioſorum ſuorum eccleſiam
cadauer deferatur: defunctos verò laicos nul-

lo quæsito colore, vel prætextu de domo, in qua mortui sunt, efferre præsumant, sine Parochi consensu, & benedictione.

Confraternitates laicorum in regularium ecclesijs, vel oratorijs institutas, & redditus habentes, nostræ iurisdictioni, & visitationi subiectas esse sciant ex sacri Cōcilij, & Summorum Pontificum decretis non obstante quacumque consuetudine in contrarium.

Denique qui per vim, vel metum ingressum se religionem esse affirmauerit, vel ante ætatem ad professionem fuisse admissum, vel alia quacumque de causa dimitti é religiosa aliqua familia postulauerit, nisi intra quinquenniū legitimè reclamauerit iuxta constitutionē Greg. XIII. neq; à Nobis audietur, neque probationes admitti volumus: secus verò si reclamatio opportunè facta fuerit, & causas corā Nobis, & superiore sui ordinis deduxerit. At si propria auctoritate habitu religioso dimisso nullam suam professionem ostēdere ausus fuerit, nisi ad suum monasterium redierit; de Apostasia puniendum nullo modo ad audientiam admittemus.

CAPVT IV.

De Sanctimonialium clausura.

MEmores eius, quod sancta Tridentina Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & in terminatione maledictionis ęternę de sanctimonialium clausura præcepit; ac summoperè optantes, vt sanctum monialium ipsarum propositum ab insidijs diaboli, quoad eius fieri possit, vndequaq; munitum, ac tutum sit: cum primis omnia, & singula quæ ad clausuram huiusmodi spectantia, & regularem obseruantiam, in nouissima vniuscuiusque monasterij Visitatione ediximus; nunc denuò decernimus, & mandamus, quæ in eisdem Visitationis actis continentur.

Ad maiorē clausuræ custodiā, duas ianitrices, easdēq; Religiosis virtutibus præditas, eligi volumus in quocumque monasterio.

Neque ante solis ortum, neque post occasum portæ ecclesiæ, vel collocutorij aperiantur. Vesperi clauis vna portæ interioris apud Abbatissā, altera penes ianitricē antiquiorem ser-

seruabitur, & portæ exterioris clauis apud virum spectatę virtutis à Nobis eligēdū erit.

Vnica tantum claui interdiu porta claudetur, quam si aperiri contigerit, vtraque ianitrix adesse debet, quæ nullo modo permittat monialem, vel aliam quamcumque ex monasterio patere prospectui sæculariū, vel salutationibus sub pœna carceris ad arbitriū, & per sex menses priuationis collocutorij: quibus etiam pœnis, & ipsas moniales delinquentes, & omnes alias, quæ consciæ patrati defectus ad Nos non detulerint, subijcimus: in virtute sanctæ obedientiæ omnibus mandantes, vt deprehensas in tali crimine statim ad Nos deferant.

Tum ianuæ, tum rotę monasterij nūquam sint sine suis custodibus, & vnaquæque per integrum triennium sibi clauem traditā ita custodiat, vt sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ nulli vnquam committat.

Fenestræ quæcumque illæ sint siuè maiores, siuè minores monasterij, suas habeant crates ferreas, aut ligneas firmas, & diligenter muris affixas.

Quicumque facultate obtenta monasteria ingre-

ingreditur, arma non deserat, semperque ingredientes duæ moniales ætatis grauioris comitentur, neque aliò diuertere permittant, quã vbi opus fuerit, & breuiori via ad egressum reducant. Singulis verò mensibus Abbatissæ Nobis, vel nostro Vicario Generali nomina ministrorum, qui necessario debent intra monasterij septa admitti præsentent, vt nostra manu signentur.

In virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne vlla monialis audeat imposterum, siuè sæcularis, siuè clerici, siuè regularis linteamina lauare, vel consuere &c. ne vlla detur occasio scandali &c. canes verò, neque in monasterium vnquam admittantur, & multo minus ali permittantur. Neque vel puerulis, vel puellis, siuè per rotam siuè per monasterij ianuam aditus facile pateat, sed omnino intercludatur.

Denique si noctu circa monasterij muros fieri à perditæ vitæ hominibus cantilenas, & symphonias Abbatissæ animaduerterint, statim Nos certiores faciant, vel Vicarium Generalem, vt de opportuno remedio prouidere possimus.

CA-

CAPVT V.

De Monialium Choro, & Collocutorio.

A sæcularibus curis, quæ sunt animæ impedimenta, expeditæ Deo facilius vacare in psalmis, & hymnis debent; ideoque moniales omnes, nisi aliquando legitimo impedimento Abbatissæ probato detineantur, diurnis, nocturnisque horis choro semper intersint, eaque corporis, & animi puritate atque modestia, qua Dei sponsas addecet, vnaquæque iuxta suæ professionis ordinem sedeat, & statis horis omnes conueniant: distinctè, attentè, ac deuotè omnia pronunciare contendant, præcipuè in solemnioribus festis, & chori Præfectæ omnes obediant, ritusque standi, sedendi, vel genuflectendi opportunè ipsa moneat, & aliæ seruentes officijs persolutis in locis choro adiacentibus non detineantur ad deambulandum, vel colloquendum, ne alijs, quæ fortasse in choro remanserint ad orãdum impedimento sint. Nullaque siuè monialis, siuè educãda puella sit, audeat ex

ex choro, vel colloqui cum sæcularibus in ecclesia existentibus, vel signis, & nutibus illos detinere sub pœna priuationis collocutorij per bimestre.

Quotiescumque per claustra monasterij, vel ex laudabili consuetudine, vel constitutione peculiari, vel ex ecclesiæ præscripto processiones fieri contigerit, omnes crates ab officialibus obserari volumus, & claues eo tempore ad Abbatissas deferri, vt nullus monialium prospectus pateat; quod si Officiales claudere neglexerint, per bimestre collocutorio priuentur.

Dum diuina in choro persoluuntur officia, nulla monialis in collocutorio remaneat quacumque ex causa, cratibus eo tempore omnino obseratis: horisque absolutis, non nisi Abbatissa prius discedente, discedant aliæ.

In collocutorio, aperta fenestella, nulla ex monialibus, vel alijs in monasterio degentibus loquatur cum sæcularibus cognatis, vel affinibus, nisi fuerint pater, mater, sorores, & si cum alijs eo pacto loqui expetierint; non nisi obtenta prius à Nobis toties,

R quo-

quoties facultate, Abbatissæ ostensa, & probata, loquentur.

Longas confabulationes non admittant, semperque in collocutorio ea voce loquantur, vt possint à monialibus assistentibus audiri: contrafacientes, per mensem, qualibet sexta feria, in publico refectorio humi sedentes cibum sumāt. Schedulas verò facultatis à Nobis obtentæ, ad colloquendum cum monialibus, ianuæ, & rotæ Præfectæ apud se semper retineant, vt occurrente aliquo scandalo ex ipsismet facultatibus certior aliqua cognitio habeatur.

Tempore Aduentus Natiuitatis Domini, & tribus sequentibus diebus, tempore toto etiam Quadragesimæ, Paschatis, & sequentibus diebus, sicut & Pentecostes: nec non & quoties ad orationem quadraginta horarum sacramentum expositum fuerit, omnes omnino crates collocutorij obserentur, & præter officiales, quæ ratione sui muneris necessariò cum ministris agere debēt, nulla ad collocutorium vel aduocetur, vel loqui cum aliquo præsumat.

Regulares nisi obtēta facultate iuxta Vrbani

bani VIII. constitutionem ad monasteria accedere non audeant, sub pœnis in eadem constitutione contentis. Quod si absque tali licentia nostri ministri aliquem regularem cum moniali colloquẽtem inuenerint, illum detineant, carceri mancipandum, vel ad suos superiores transmittendum &c. Quod si ex nostra diœcesi Prælati inferiores exẽpti fuerint; sciant se à Nobis tanquam ab Apostolicæ Sedis delegato puniendos.

CAPVT VI.

De Confessionibus Monialium.

AD excipiendas monialium confessiones illi ex presbyteris sæcularibus deligẽtur, qui & doctrina, & morum grauitate præ cæteris erunt in tota diœcesi conspicui: toto biennio expleto, vnus alteri succedat, nisi prorogetur facultas: & quæcumque Abbatissa ante biennium expletum Nos opportune moneat, vt prouidere possimus de successo-

re, qui ſtatim atque miniſterium ſuſcepit, alteri omnis facultas intelligatur ablata: neque amplius ad illud monaſterium ſine noua noſtra licentia in ſcriptis exhibenda, accedere poterit.

Ter quolibet anno, iuxta ſacri Tridentini concilij decretum, Extraordinarius aliquis, ſiuè ex regularibus, ſiuè ex ſæcularibus ſacerdos ad monialium confeſſiones per integrum menſem excipiēdas aſſignabitur. Omneſq; ſiuè Ordinarij, ſiuè Extraordinarij ſint, in adminiſtratione tanti ſacramenti ſedulò inuigilent, vt Chriſti ſponſæ à ſæculi vanitatibus abſtractæ, & alienæ, ſoli ſponſo cœleſti placere ſatagant: ideoque ad frequentem ſacramentorum vſum illas hortentur, & nulla integro plus menſe à ſacramento Pœnitentię abſtineat.

Quicumque ſit ille confeſſarius aduocatus ad infirmis ſacramēta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtranda, recta cubiculum cum duabus antiquioribus, quæ ipſum comitabuntur, procedat: quantum temporis neceſſitas, poſtulauerit impendat, & ea, quæ par eſt, grauitate, & modeſtia; ideoq; dū infir-

mę assistit, cæterarũ cõspectum non subterfugiat: & breuiori qua potest via ad monasterij portam egressurus, se conferat: & si quidem Viaticum erit ministraturus, præscriptos ritus, & modum deferendi sedulus obseruet.

Caueant moniales, ne in locis confessionibus destinatis cum alijs loquantur, & de rebus ad confessionem non pertinentibus, prętequam cum confessarijs assignatis: quorum pilei, vel pallia non intrà monasterium, sed in capsula aliqua in sacristia custodiantur, dum ipsi ibi morantur.

Pro missis cantandis, vel pro defunctis, vel de festiuitatibus sanctorum, si quid vltra consuetum stipendium dandum sit; vnius missæ quotidianæ eleemosynam non excedat: neque dulciaria pro munusculis mittant, cum dies festi celebrantur.

Prçter à Nobis designatos cõfessarios, nullus, siuè regularis ille sit, siuè sæcularis sacerdos, à Nobis cæteroqui approbatus ad cõfessiones, quarũcũque monialium confessiones excipere præsumat, virtute cuiuscũq; priuilegij, eligendi, videlicet, confessarium dũtaxat

ap-

approbatum; nisi specialiter in facultate de tali approbatione mentio facta fuerit.

Ad sacram communionem statis diebus illæ semper primæ accedant, quæ in ministerijs, & officijs operam suam exercere sunt destinatæ, vt expeditius possint suis muneribus satisfacere.

CAPVT VII.

De largitione munerum Monialibus interdicta.

QVæ circa munerum largitionẽ sanctissimi Clemens *VIII.* constituit, & Vrbanus *VIII.* prudenter declarauit, locum etiam habent apud moniales, quibus decretis inhærẽtes hæc nostris monialibus edicimus.

De bonis, siue monasterij sint propria, siue peculiari ipsarum vsui à Nobis permissa, moniales nihil vnquam elargiantur, nisi de licentia cœnobij Præfectæ, quæ in singulis mensibus non nisi summam tarenorum sex dispẽsare poterit, vltra quam summam, si aliquan-

quando voluerit dispensare, non nisi Nobis, vel nostro Vicario Generali cõsulto id faciet.

In festis Resurrectionis, vel Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, si quæ velit, poterit scuta duo expendere ad gratiam illis referendam, qui vel de se, vel de monasterio benemeriti sint: neque vltra talem summam officialibus suis quidquam largiatur.

Et quia experientia satis certa compertum est, monasteriorum pecuniam apud exteros depositatam magna cũ difficultate exigi posse; imposterum volumus omnem pecuniam quomodolibet exactam, in capsa, ad id in monasterio ipso constituta conseruari, quæ tribus ad minus clauibus occlusa sit, quarum vna apud Abbatissam, alia penes Deputatũ antiquiorem, tertia apud Vicarium foraneũ per diœcesim, in ciuitate verò penes virum grauem à Nobis assignãdum seruetur. Decanæ autem duæ antiquiores ex ministerio libros duos habeant, in quibus exactè tum pecuniæ exceptæ, tum expensæ adnotentur.

Pro ordinarijs monasteriorum oneribus, & expensis regula peculiaris à Nobis aliàs præscripta seruetur.

Ne-

Neq; pro admissione ad habitũ religiosũ, neque pro emissione professionis religiosæ, expensæ ad luxum permittantur; quæ non redoleant religiosam omnino modestiam, & pietatem: nulla itaque instituantur conuiuia, nulla ad vanitatem pompa permittatur.

Nulla ex monialibus, siuè sit ex velatis, siuè ex conuersis, quæ vel ipsis donata fuerint, vel à monasterio ad vsum assignata, vendere præsumat.

Singulis hebdomadis monasterij sumptus, & expensæ, nec non, & reddituum exactorum introitus computentur. Dati, & recepti ratio coram Deputatis habeatur in collocutorio, & vniuscuiusque manu signetur, vt clarius omnia, cum opus fuerit, appareant.

Ne veluti proprietaria puniatur vlla monialis ex quocumque capite, nisi ratio officij aliter postulet, pecuniam nullam apud se retineat: placentas offas, aut dulciaria venalia nullo modo fieri volumus, sub pœna carceris per mẽsem, & Abbatissæ permittenti pœnam suspensionis indicimus.

CAPVT VIII.

De his, quæ à Monialibus seruanda sunt.

AVdito campanulæ signo ad corporis refectionem vocante, omnes statim eò se conferant, vt benedictioni intersint: Abbatissa, vel Vicaria, vel antiquior, vt moris est, benedicat, tum iuxta professionis ordinem itā sedeant, vt si quæ serò venerint, sine sedentium perturbatione in nouissimo loco consideāt: tempore refectionis silentium omnimodè seruetur, & qua par est, modestia cibum sumant: quidquid necessarium fuerit, summissa voce ministrantibus innuant, sine strepitu; ideoque antequam vltimum signum detur, officinas omnes vel Abbatissa, vel Vicaria inuisat, vt omnia sint tempestiuè, & benè disposita, & parata.

Lectio sēper aliqua spiritualis in mēsa habeatur: & quæ legit, clara, & distincta voce pronūciet, vt ab ōnibus cōmodè audiri possit.

Ad refectionem ita omnes conuenire debent, vt quæ ad primam mensam accumbere nō potuerunt, ad secundam veniant, quo tem-

pore Abbatissa, vel Vicaria refectorium inuisat, vt silentium, & modestia, sicut, & in prima mensa, seruetur. Quę verò ex prima, vel secunda mensa superfuerint, vel panis,& vini, vel aliorum ciborum, à refectorij Præfecta colligantur, vel pauperibus distribuenda, vel ad vsum aliàs seruanda.

Diebus ieiuniorũ cęnula serotina, ne extra refectorium fiat. Quæ ad ministerium assarum in refectorio, vel coquina inseruire debent, opportunè singulis hebdomadis moneantur.

Aduersa valetudine laborantes, vel conualescentes iuxta medici præscriptum curentur: Illisque cibis vescantur, eoque tempore, quibus medici decreuerint, non ad ipsarum met ægrotantium libitum; ne nimis multum, vel ipsum monasterium expensis grauetur, vel etiam ipsæ moniales, quibus ægrotantium, & conualescentium cura demandata est, inutili labore fatigentur.

Nocturno tempore lucernarum sit ita per totum monasterium ordo dispositus, vt nunquam, præcipuè in locis frequentioribus, deficiat lumen: quæ verò pertinent ad supellec-

tilem

tilem vniuscuiusque, ad lecti compositionẽ, & cellæ ornatum, iuxta Clementis VIII. cõstitutionem seruentur, & peculiares à Nobis etiam ordinationes editas. Volumus autem bis in anno cellas omnes ab Abbatissa, Vicaria, & alijs zelatricibus adiunctis visitari, ne quid contra constitutiones, & regulas permittatur. Proprietariæ corrigantur, & castigentur priuatione vocis actiuæ, & passiuæ per triennium, & alijs pœnis in constitutionibus contentis.

Defunctarum monialium cellæ semper antiquioribus professis offerantur; neque vnquam morienti sub quocumque prætextu liceat de cella disponere, vel supellectili, sed omnia in bonum cõmune monasterij cedāt.

CAPVT IX.

Alia quædam Sanctimonialibus seruanda proponuntur.

IN electione Abbatissæ, & quæ sacra Tridentina Synodus constituit, & quæ singula:

gularium ordinum, vel monasteriorum constitutiones præscribunt, seruentur. Quæcumque verò fuerit electa, clausuram monasterij singulariter sibi cordi esse demonstret.

Intra duorum mensium spatium ab eius electione bonorum omnium, & iurium ad suum monasterium spectantium catalogum ad Nos mittat, seruãdum in nostro archiuio curiæ Archiepiscopalis. Officiales omnes, sicuti & monasterij ministros in officio contineat: singulis hebdomadis in capitulo, vt moris est, defectus communes, vel peculiares reprehendat, & corrigat; illudque præcipuè omnibus commendet, ne cum sæcularibus de actis, vel agendis in monasterio sub quocumque prætextu agatur: & nisi necessitate vrgente, litteras scribendi facultatem omnibus interdicat.

Si plures sorores germanæ in eodem monasterio reperiantur, vnaque ex eis Abbatissa electa fuerit, nulla ex alijs eo tempore, nisi ex speciali nostra facultate, officio fungatur.

Ad sacras conciones conuocatæ, operta facie conueniant, vt ad singularem modestiam videantur affectæ; quod & aliàs ad col-

loquendum cum sæcularibus aduocatæ ser-
uare deberent.

Erga Abbatissam in omnibus obediētiam
præseferant expeditam: iniunctas commissis
culpis pœnitētias nūquā detrectēt, neq; reatu-
um patrocinium assumant, vel obloquantur:
quæ secus fecerint, carceris pœna multentur
per tres menses, in quibus qualibet feria sexta
pane solo, & aqua in medio refectorio vescā-
tur, & Abbatissæ pedes deosculentur.

Rixas, contentiones, & quidquid charitati
aduersatur, deuitent: omnesq; vestibus eiusdē,
quo ad fieri poterit, rationis vtantur, cingulis,
& alijs huiusmodi ad vestitum decentem re-
ligiosum, & modestum necessarijs.

Meminerit Abbatissa bona monasterij, ne-
que alienari, neq; permutari, neq; ad diuturnū
tēpus locari posse, iuxta sūmorū Pōtificū de-
creta. Nullā vel fabricā excitare, vel fenestrā
aperire Nobis inconsultis præsumat: cęteraq;
omnia ad regimē monialiū, & labores ita di-
sponat, vt nullus supersit querelis, nullus scā-
dalis locus: neq; vnquā adduci patiatur, vt ea
monialibus permittat, quæ vix sęculares fæ-
mellas deceat.

CAPVT X.

De Nouitijs, & Puellis educandis.

NImis multum contulit semper ad religiosæ disciplinæ conseruationem, nouitiatus institutio, & puellarum educatio; ideoque non tam de nouo instituimus decreta sancire, quàm ex summorum Pontificum cōstitutionibus aliqua in memoriā reuocare.

Et primo quod, vbi duæ germanæ sorores professæ fuerint adhuc viuentes, tertia ad nouitiatum non admittatur, nisi duplicatam dotem assignauerit, omnique voce, vel actiua, vel passiua, donec alterutra ex duabus è vita decesserit, carere nō detrectauerit: quod locum habere etiam debet, si quarta, vel quinta habitum petierit; secus ante ingressum sacra congregatio consulatur.

Ante expletum duodecimum annū, nulla potest ad tyrociniū admitti, neque ad professionem, nisi expleto decimo sexto, ad quā promoueri, nisi post annū in nouitiatu exactum, non poterit. Et sicuti ante ingressum in monasterium à Nobis, vel à nostro Vicario

generali exploratio voluntatis puellæ fieri debet, ita ante professionem opportunè Abbatissa Nos moneat, vt consuetum examen ante viginti quinque dies præmittatur: meminerint verò & nouitia, vel professa, & ipsius parentes, & monasterium, sacram congregationem omnia munera, & donaria ipsimet Ordinario destinata prohibuisse.

Si quæ non ad huc expleto nouitiatus anno propter grauissimum morbum è monasterio exierit; regressa, non nisi integro anno exacto, professionem emittet: quod si in ipso monasterio paulò ante expletam probationē in lethalem morbum inciderit, & professionis religiosæ desiderio teneatur, statim Nos Abbatissa consulat.

Cum Nos de instante alicuius nouitiæ professione certiores reddet, testimonium in scriptis mittat de nouitiæ moribus, religiosæque obseruantiæ studio; & si vocalis fuerit, etiam moneat: tum facultate à Nobis factā, capitulum conuocabit, in quo, & cæteris huiusmodi casibus in virtute sanctæ obedientiæ sanctimonialibus omnibus præcipimus, vt vna quæque secretò suum votum in capsu-

lam

lam mittat, quod nullo modo vel alteri præbeat, vel ostendat; siue fuerit votum fauens, siue aduersum negotio, de quo agitur.

Nouitiæ cum professis sanctimonialibus, nisi obtenta prius licentia non colloquantur. Ad religiosum habitum à quindecim diebus ab ingressu in monasterium, duodecimo ætatis anno expleto statim admittantur, vel ad proprias domus remittantur, nisi aliter Nobis expedire visum fuerit. Professione verò nuncupata, adolescentulæ per triennium sub vnius magistræ cura, singulis annis eligendæ ab Abbatissa, viuant: illaque semper eligatur, quæ & verbis, & exemplis ad omnem perfectæ religionis disciplinam recentes professas informet.

Antequam puella capitulo proponatur, vt de illa admittenda decernat, operæ pretiũ videtur, vt omnes monasterij consuetudines, labores, & institutiones edoceatur, vt non nisi præhabita cõsultatione propriarum viriũ, admitti petat: admissa verò à capitulo, monasterium, si Confirmationis Sacramento insignita non fuerit, Nobis inconsultis non ingrediatur; postea autem quam habitum suscе-

sceperit, nomen, ætas, habitus suscepti, & professionis dies in codice diligenter adnotentur. Nullaque ad nouitiatum recipiatur, nisi illius dos integra, pro toto probationis tempore, apud probatæ fidei virum, vt moris est, deposita fuerit: interim ex fructibus annuis alimenta subministrentur, & alia, quæ supersunt, in vsus necessarios puellæ expendi possunt: nihilque, iuxta sacri concilij Tridentini decretum, monasterio ex puellæ bonis toto illo tempore tribuatur, nisi sponte eleemosinæ nomine Abbatissæ ad communem vtilitatem aliquid offerri contigerit.

Puellas educandas, non nisi de Sacrę Cōgregationis licētia, recipere monasteria possunt, & cum appositis conditionibus, & iuxta loci consuetudinem: minor septennio, & expleto vigesimo ætatis anno nulla admittatur. Pro alimentis anticipata semper solutione monasterio satisfaciāt, prout moris est: vestitu vtantur decenti, atque modesto, colore non dissimili: quæ sunt serica, auroque texta, sæcularibus extra monasterium degentibus relinquant.

Si ad collocutoriū aduocatę fuerint cū cō-

sanguineis collocuturæ, quæ de monialibus ediximus, seruent, & in omnibus communi viuendi modo illius monasterij, in quo degunt, ita se conformare studeant; vt nihil omnino modestis oculis indignum appareat.

SESSIONIS QVINTAE.

CAPVT I.

De Ecclesia Metropolitana, nostræ curiæ Archiatio, & alijs ad reformationem spectantibus.

Metropolitanam hãc Ecclesiam Montis Regalẽsis Serenissimus Rex Guilelmus fel. record. Regia munificentia à fundamẽtis erexit, Immaculatæque semper Virgini dicauit: consecrationis verò huius templi memoria in diem vigesimã quintã Aprilis cadit; sicut autem omnium Ecclesiarum huius diœcesis est Mater, & Caput, ita cæteris omnibus in diuinorũ cultu præferri debuit: suos

suos proindè habet, pro diuinorum officiorũ celebratione, ministros selectos, iuxta dispositionem Pauli III. in Bulla, quæ incipit: Sacri Apostolatus ministerio.

Archidiaconus Presbyter sæcularis nostræ Ecclesiæ Dignitas, obseruationis festorum curam gerit, & ex in obseruantiæ pœnis ad tertiam vsque partem participat: locum in choro à dicta Bulla assignatum obtinet.

Inter Canonicos sæculares, qui decem & octo sunt, omnesque almutio nigro cũ fascia rubei coloris vtuntur, eorum Primus, iuxta antiquissimam cõsuetudinem, Archipresbyter appellatur.

Sex ex canonicis curá habent animarũ: & omnes singulis festis, et dieb⁹ Dominicis missæ, & vesperis intersunt, secus puncto notantur, vt moris est, distributionibus quotidianis pro eo tempore, pro quo non conueniunt cum cæteris, priuandi.

Quicumque, defuncto aliquo ex canonicis curam animarum habente, præsentatus fuerit ab ijs, ad quos ex fundatione ius præsentandi competit, examini se subijciet.

Duodecim Canonicatus, qui supersunt, de

mera, & libera Archiepiſcopi conſtat eſſe collatione.

CAPVT II.

De Sacello Sancti Caſtrenſis.

DVO ſunt Cappellani Sacelli ſancti Caſtrenſis, qui ex peculiari S. Apoſtolicæ Sedis priuilegio almutio canonicali vtũtur. Horum alter Pœnitentiarius, alter Theologus eſt: eorum primus Archiepiſcopo celebranti, vel vt Magiſter Cœremoniarum inſeruire, vel eidem in choro præſenti aſſiſtere, ſecundus verò alijs eccleſiæ miniſtris iuxta propriæ fundationis Bullã, adeſſe tenetur.

Alius eiuſdem ſacelli miniſter, Acolytus dictus, ſacriſtiæ curam habet; & ad titulum Cappellaniæ eiuſdẽ iuxta Bullã Clem. VIII. ad ſacros promouetur. Hic præfatis Magiſtris cœremoniarum, & Cappellanis, ſiuè celebrãtibus, ſiuè alias ſacras functiones exercentibus in prædicta Cappella ſemper aſſiſtere tenetur.

CA-

CAPVT III.

De Sacrista Maiori.

VNVS ex ipsius Ecclesiæ Cathedralis monachis à Nobis electus, ad Archiepiscopi nutum amouibilis, sacristam agit. Is vniuersam sacram supellectilem, & vasa in numerato habet, & iuxta Pauli III. Bullam, ad nostrum beneplacitum, rationem reddere tenetur. Coadiutorem habet sæcularem presbyterum à Nobis eligendum, qui opportunè necessaria ad sacrificandum parare debet. In omnibus munditiei, atque nitori semper consulendum nouerit: & tum ipse, tum omnes alij clerici, & ecclesiæ ministri, non nisi superpelliceis induti, per ecclesiã obambulẽt.

Altarium ornatum, & sacerdotum vestes sacras, pro temporum, & festiuitatum varietate, varias exponere curet: calices mũdissimos, splendideq; inauratos, cæteraq; omnia, quæ superius ad diuini cultus decorem statuimus, ita ipsi incũbit prouidere, vt quidquid vel desideretur, vel negligatur, non nisi ipsius vitio vertendũ existimet: & iuxta cul-

pæ,vel scandali grauitatem expiandum erit.

Sacristas minores, quos Malingreros vocant, in officio ita contineat, vt in nulla re ex ipsorum curæ commissis, vti sunt, ianuas ecclesiæ opportuno tempore aperire, & claudere, aquam benedictam infundere, statis horis signa ad celebrationem officiorum campanis pulsare, Archiepiscopalem sedem sternere &c. eorum diligentia, & sollicitudo desideretur.

Lampades præter illas, quæ ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & sanctorum reliquias ardent perpetuò, quando ex consuetudine ecclesiæ lucere debent, sedulò curet, ne vnquam extinguantur.

Arcam illam tribus obseratam clauibus, quarũ vna apud Nos, alia apud Gubernatorẽ Generalẽ, & tertia apud Prætorem de more seruatur, in qua priuilegia, aliaque multa ad Archiepiscopi iurisdictionẽ continentur, meminerit sacrista, ita in sacristia collocatam esse, vt præcipuè illius curæ commendatam velimus.

CAPVT IV.

De Ecclesia insignis Collegiatæ Sanctissimi Saluatoris.

INsignis hæc Collegiata Sanctissimi Saluatoris Canonicos viginti quatuor habet, quorum habitus ab Vrbano VIII. fel. record. fuit approbatus, cum cruce deaurata pectori admota.

Tres ex horum Canonicorum numero sunt dignitates, Decanus videlicet, cuius munus satis in Bulla Vrbani VIII. fel. record. exprimitur, ipsi enim incumbit prouidere, vt omnia rite fiant, rectoque ordine procedant.

Altera dignitas Thesaurarius est, qui & vices Decani, ipso defuncto, vel in remotis agẽte, supplet, & sacristis præest, Ecclesięque nitorem curare debet, sicuti & pro missis celebrãdis eleemosynas adnotare, vt in omnibus offerentium intentio executioni mandetur. Cãtor denique tertia dignitas, omnia, quæ ad psalmodiam, & psallentium varia munera in choro prouidere, atque recto ordine disponere ita debet, vt nihil ibi tanta loci maiestate,

&

& ministerij dignitate indecens, vel indecorum appareat.

Ex tribus præbendis, vna dicitur Theologalis, altera Pœnitentiariæ, tertia denique Iuristæ: & qui his gaudent ad residentiam, sicuti & ceteri, iuxta sacri concilij Tridentini decreta, tenentur. Sex verò Cappellani, vel Beneficiati statis diebus, & horis, tum ad diuina officia celebranda, tum ad missam cantandam cum suo almutio debent conuenire.

CAPVT V.

De Seminario.

CLericis Seminarij nostri separatim hic quidquam præcipere, præter assiduam constitutionum eius loci seruandarum curã, superuacaneum esse ducimus, cum omnia, quæ ad ipsorum religiosam educationem, ac rectam in litteris, & ecclesiasticis disciplinis institutionem conducunt, ijsdem cõstitutionibus à Nobis approbatis abunde comprehensa videantur.

Me-

Meminerint tamen omnes tum Rector, tum Alumni, & mẽtis oculis assiduè versent, collegium ex hoc ipso dici Seminariũ, quod clerici, veluti nouellæ quædam plantæ, ibi alũtur, vt suo quoq; tempore ad ecclesiarum regimina transplantentur, ad aliaque Dei ministeria, iuxta vniuscuiusque eorum in ecclesiastica disciplina progressũ, transferãtur. Quare & ipsi toto animo, ac totis viribus tales euadere studeant, vt spem, quæ de illis concepta est, non eludant: & Rector, facta cogitationum suarum omnium summa, ea sedulitate quæ ad ipsorum adolescentium, & clericorum rectam educationem faciunt, ita prouideat, vt nihil omnino tum in administratione temporali, tum in regimine desideretur.

CAPVT VI.

De Archiuio.

VT omnis omnino à nostris ministris, officialibus, & iudicijs auaritiæ labes

arceatur, licet per vetustam iudiciorum formam, iuxta Regni Siciliæ morem inductam, & à Nostris Prædecessoribus receptam, circa dilationes probatorias in causis ordinarijs, & summarijs, quoad præfigendos terminos, & alia huiusmodi, vsu in nostra curia iam recepta non improbemus, nullo tamen modo, quoad decisoria, & causarum instantias approbamus.

Vt quàm citissimè potest, causę peragãtur: taxationem, seu pandectam, post Synodi huius publicationem, in loco publico, vt ab omnibus legi queat, affigendam, & seruandam proponemus.

Pro causis fiscalibus, semel saltem singulis hebdõmadis, sua consultatio habeatur, sicut carcerum visitatio à Nostro Vicario Generali, qui detentis ibi auditis, nihil Nobis inconsultis decernet. Quas potest lites componat, & quas componere nõ potest, neque impedire, quantocius potest, expediat.

Registrũ omniũ litterarũ cũ suis subscriptionibus seruetur in Archiuio, & sine eiusdẽ registri testimonio nullum volumus executioni locum esse.

Ma-

Magister Notarius in codicibus, ad id seruatis, describet collationes omnes beneficiorum ecclesiasticorũ, nomina omnia promotorum, & titulos promotionis. Item & approbatorum ad confessiones audiendas præuio examine, & ad Dei verbum prædicandum, insuper & dimissorias litteras ad ordines suscipiendos: & in suos etiam referantur codices, si qui sunt ludi Magistri, Exorcistæ, vel Obstetrices: denique illorũ omnium nomina, qui antequàm exponerentur ad conciones, fidei professionem emiserunt, sicut & aliorum omnium &c.

Diplomata omnia Summorum Pontificũ ad Nos directa, cuiuscumque Sacræ Congregationis Cardinalium cõstitutiones, iura omnia Patronatuum ecclesiasticorũ, Parochiales ecclesias, Suspẽsiones, Excommunicationes, cæteraque omnia suo ordine bene disposita libris varijs adnotentur, & cũ suis alphabetis, ita apte collocata, vt nullus vnquam exaudiatur, ob registri, & codicum defectus, dolor, & querimonia.

Pauperum causæ vel illicò componantur, vel si admittantur, breui expediantur, & quidem

dem omnia gratis. Delinquentes profugi vel exilio, vel pœna ad arbitrium puniantur.

CAPVT VII.

De vita, & honestate Clericorum.

CLericos in partem sortis sanctorum electos, ceteros omnes Christi fideles morum, & vitæ sanctitate anteire debere, nemo est, qui libere non fateatur. Absit, vt ex nostro ordine reperiantur, qui vel congregandis opibus, sicuti mercatores laici, vel domesticæ rei amplificandæ, vt filij huius sæculi assolent, studia sua, & sollicitudinem omnem addicant. Actiones quippe clericorum eo in loco positæ sunt, vt instar ciuitatis, & præalti montis iugo extructæ, aut lucernæ super candelabro in media domo ardentis, oculis hominum abscondi non possint.

Quamuis vero multa sint Summorum Pōtificum constitutionibus, ad illorum mores castè, pieque informandos, sancita; quę tamē sequūtur, visū est in prįsētia pręscribere.

Venationem aduersus Sacrorum Canonum

num decreta nullo modo exerceant.

Cohabitationem, ac conuersationem quascumque suspectarum mulierum vitent: multo minus domi retineant; ni velint iuxta Eugenij sanctionem puniri.

Tabernas, seu cauponas, nisi itineris causa, non ingrediantur: & comessationibus, & compotationibus, atque conuiuijs inhonestis non interueniant.

Vestium color niger tantummodo sit, & sub clericali veste, non nisi subniger, & modestus, non coloratus, & mollis.

Comædias, mimos, histriones, ac circulatores spectatum ne eant.

Barbã, & comã ne militum more nutriãt.

Mercaturam verò, vel negociationem illicitam, & prohibitam nullo modo exerceant.

Alearum, & quouis alio vetiti ludi genere non modo ipsi abstineant, sed nec alios ludentes spectent.

Nocturno tempore per ciuitatem ne deambulent, quod solum vrgentis alicuius necessitatis causa permittimus.

Alieni prędij conductores, laicorum, etiam Principum, ministri, vel in rebus eorum

pro-

procuratores ne sint: alienæque cuiusuis tutelę, absq; permissu nostro, onus ne suscipiant.

Coram Iudice laico, in casibus à iure non permissis, causas ne tractent: tabellionis, & medici partes ne agant. Nihil denique à clericis fiat contra id, quod sacri canones, concilia generalia, & Pontificum sanctiones edixerunt de vita, & honestate clericorum.

Peregrini clerici, & alienæ diœcesis sacerdotes, nisi dimissorialibus litteris exhibitis, non admittantur. Quod si per aliquod breue tempus commorandi venia tribuatur, de vita illorũ, & moribus attentiùs circumspiciatur, ne liberiùs, quàm par sit, & scandalosè viuant. E nostris verò clericis, nullus sine litteris nostris discedat ad alienam diœcesim.

Caueant omnes clerici præcipuè verò sacerdotes, curatores animarum, vel Beneficiati, ne quid ab ipsis; siuè in sacris peragendis, siuè in rudimentis Doctrinæ Christianæ tradendis, quidquam desiderari queat.

(: ✠ :)

CA-

CAPVT VIII.

De Confraternitatibus.

LAicis confratribus, pro nostro munere, prouidere etiam debemus: ideoque hæc præscribenda duximus.

Electiones officialiũ, nisi aliter veteri aliqua consuetudine cautum sit, quotannis saltem semel secretis suffragijs eligantur, Nobisque electorum nomina confirmanda offerantur.

Nouas sodalitates sine nostra peculiari facultate institui, vel veteribus aliquid addere circa vestitum, & constitutiones, omnino prohibemus. Et si qua fuerit sodalitas huc vsque nullis legibus constricta, certam constitutionum formulam obseruandam vel Nobis, vel nostro Vicario Generali, infra duos menses, confirmandam præstent.

Seruari in ecclesijs eorum Eucharistiç Sacramentum non debet, neque oratio quadraginta horarum, nisi consueta ad supplicationes pro vniuersitate, & matutinis tantum horis permittatur, nisi cum peculiari nostra facul-

cul-

cultate aliter fuerit dispositum, qua in solemnitate duo semper ex confratribus erunt assistentes, sicut & Cappellanus cum sua cotta, & stola alba.

Præscriptos habeant dies ad sacram confessionem, & communionem simul peragendam.

Electi de nouo officiales prædecessorum computa recipiant, sed non, nisi de nostra licentia, habitæ administrationis liberationẽ faciant.

Vt quidquid timeri potest incõmodi præcaueatur, confirmari officiales prohibemus: neque vnquam confraternitatis debitor, vel conductor in Gubernatorem, vel Thesaurarium eligatur. Thesaurarius verò ille sit, qui patrimoniũ ecclesiæ seruare possit: libros verò, si nullus ex confratribus curare poterit, iusto stipendio qui sit aptus conducatur.

Bonorum omnium siuè mobilium, siuè immobilium, iurium, reddituum, actionum, censuum inuentarium fideliter factum omnes confraternitates infra mẽsem Nobis exhibeant.

Confratres, & sodales non admittantur fa-

cino-

cinorosi, vel aliqua alia labe notati: si quis autem fuerit ab aliqua sodalitate dimissus, ad aliam, Nobis inconsultis transire non poterit, neque etiam dimitti volumus sine nostra licentia in scriptis obtenta.

Ad processiones ordinarias etiam non vocatæ, ad alias verò, cum indictæ fuerint, frequentes conueniant, & confratres bini composite progrediantur, & interim à collocutionibus abstineant.

Confugientes ad eorum ecclesias immunes ne expellant, Nos tamen de causa doceat Cappellanus ecclesiæ. Ex simili verò occasione quoscumque illicitos ludos, conuentus, & comessationes sub pœna excommunicationis prohibemus, sicut & in festiuitatibus, vel processionibus omnino vetamus.

CAPVT IX.

De Concubinarijs.

DEtestabile concubinatus vitium sub grauissimis pœnis à toto Christiano

orbe eliminandum, doctissimi, ac religiosissimi Patres sacri concilij Tridentini censuerunt: vnde Nos pro nostra pastorali vigilantia tantum scelus funditus extirpare cupientes, iubemus, præcipimus, atque mandamus, vt omnes in nostra ciuitate, & diœcesi existentes, siue illi sint coniugati, quod detestabilius est, siue soluti huiusmodi peste infecti, infra nouem dies, ab huius constitutionis Synodalis publicatione, cōcubinas in proprijs, vel alienis domibus palam, vel occultè quocumque colore quæsito retinentes, omnem à se incontinentię suspicionem statim abigāt, à supradictis ædibus scorta huiusmodi penitus eliminantes, si secus dœmonis præstigijs, atque artibus delusi fecerint, excommunicationis pœna à Nobis se plectendos, sicuti & mulieres publica fustigatione castigandas nouerint.

Si, quod Deus auertat, clericus tali fuerit crimine notatus, iuxta Pij V. constitutionem erit puniendus, ipsoque iure meminerit se suspensum ab officio, & beneficio; ita vt sacra Cōgregatio Concilij declarauerit irregularitatem illum contrahere, si tali culpæ obno-

xius

xius celebrare præsumpserit: denique ex sacri Concilij decretis, & Canonum sanctionibus etiam pecuniaria pœna pijs locis applicanda in delinquentes animaduertemus.

CAPVT X.

De Vicarijs Foraneis.

CVM fieri nullo modo possit, vt Nos ipsi in omnibus diœcesis nostræ locis præsentes omnia moderemur; summopere optamus, vt Vicarij Foranei, quos in negotijs, & curis illarum regionum, quæ longius à Nobis distāt, auxiliares adsciuimus, fidelem in omnibus, ac sollicitam operam præstent.

Illud quidem potissimū ab eis expetimus, vt circumspiciant diligenter, an in parochijs regionum sibi commissarum omnia rectè se habeant, & promulgationes edictorum nostrorum fiant, & Dominicis diebus doctrinæ Christianæ instructio tradatur.

Caueant maximè, ne se ingerant in cognitionē causarum facultates illis concessas ex-

cedentium, neue tam super ijs, quàm super alijs quibuslibet causis criminalibus cum reis componant, vel paciscantur mercedem, quã silentio inuoluant, quinimo informationes pro iudicio fideles ad Nos mittant.

Faciles ne sint in dandis licentijs, vt opera seruilia festis diebus exerceantur, sed graui dumtaxat aliqua necessitate, vel vtilitate publica exigente concedant.

Ecclesiasticæ disciplinæ sint peramantes: & nihil patiantur fieri contra decreta Synodalia, vel visitationum ordinationes: clericis omnibus exemplo præsint: nihilque suarum partium prætermittant, vt omnia ad animarum salutem necessaria præstentur.

CAPVT XI.

De Visitationibus.

NOstrę diœcesis visitationẽ singulis annis, quod Tridentina Synodus statuit, ipsi per Nos, vel per Vicariũ nostrũ Generalẽ, aut Visitatorẽ obire omnino decreuimus.

Vi-

Visitationis dies Parochis paulò ante significetur, vt nec ipsi imparati offendantur, & ea de re populus commonefactus, & de fructibus, causisque visitationis edoctus, cõfessione purgatus, & cõmunione refectus maiori cum veneratione, & reuerẽtia Pastorẽ suscipiat, & vberiores fructus & impetret, & præstoletur.

Initium visitationis à Cathedrali ecclesia fiet, inde ad reliquas ciuitatis ecclesias nostrę iurisdictioni subiectas, & oratoria transeatur: cæteræ deinceps diœcesis ecclesiæ singulæ visitentur; in sacerdotum, clericorumque omnium mores, & vitam diligentissimè inquiratur, eorum familia, & libri inspiciantur: quẽadmodũ & pia loca vt cumq; nũcupata, ac hospitalia administrentur, etiam videatur.

Notarius, cuius opera Visitator vtitur, nec pecuniam, nec aliud vllum cuiuscumque generis munus ab ijs qui visitantur, accipiat: si quæ decreta aliquo petente exscripserit; mercedem laboris accipiat eam, quam nostri fori taxa præscripserit.

Archiepiscopo visitanti Parochi cum populo obuiam exeant, tum magistratus, & officiales omnes, Pastoremque suum omnes

om-

omnibus Christianæ demissionis officijs, ad ecclesiam prosequuti, in ea, donec visitatio perfecta sit, frequentes assiduè adsint. Archiepiscopus cuicumque de rebus ad ecclesiam pertinentibus loqui volenti aditum ad se patere facilè sinat, eumque libenter audiat.

Quod verò ad eos attinet, quibus Confirmationis sacramētum ab Archiepiscopo ministrandum erit, ante eius aduentū curet Parochus ea omnia, quæ necessariò requirūtur.

Triduum illud, quod visiationis diem præcedit, vbi commodum sit, quadraginta horarum oratione vtiliter transigatur, & immediate antecedenti die, festo campanarum sonitu populus de instanti visitatione doceatur, vt cum maiori veneratione suum Pastorem excipiat.

Præcipuum illud sit visitationis intentum, vt quæ vtiliter, atque laudabiliter, vel prius in alijs visitationibus decreta fuerunt, vel de nouo conduntur, executioni mandentur. Et ne sumptibus grauioribus onerentur ij, ad quos visitandos acceditur, modestus sit Visitatoribus comitatus, & qui necessarius.

CAPVT XII.

De Synodo Diœcesana.

EX intermissa Synodi celebratione tot proueniunt detrimenta, vt his intellectis, sacri concilij Tridentini Patres diœcesanam Synodum à singulis Episcopis quotannis fieri voluerint.

Hæc Nos decreta secuti, in nostra diœcesi Synodo celebrandæ diem singulis annis præstituemus: eamque sacro Epiphaniæ die vna cum festis mobilibus denunciari in ecclesia decernimus.

Per mensem, antequam Synodus habeatur, statutis horis, & diebus coram Nobis cõsultores designati Theologi, vel Canonistæ, tum sæculares, tum regulares proposita dubia pertractabunt. Et in proximè antecedenti congressu Parochi omnes tũ diœcesis, tum ciuitatis conuenient; & quidquid ibi vel propositum, vel decretum fuerit Notarius fideliter excipiet.

In omnibus ecclesijs diœcesis tum regularium, tum aliorum preces offerantur, & sup-

ſupplicationes fiant pro Synodi celebratione,& Parochi populũ doceant quanta res ſit Synodum celebrare, eumque ad rem tantam Deo ſuis precibus commendatam frequenter excitent.

Sciant omnes,qui vel iure, vel conſuetudine Synodo intereſſe debent,niſi ipſimet interfuerint,ita ſecum actum iri, vt pœnis à ſacris Canonibus,atque à Tridentino concilio conſtitutis afficiantur,modo ſe legitimè impeditos eſſe Nobis non probent.

Secretarius Synodi,decretorum Lector,& Magiſtri cæremoniarum ſuis muneribus, ea, qua par eſt,modeſtia,& grauitate fungantur.

Cum ad vrbẽ peruenerint ſacerdotes diœceſani,nõ ad tabernas meritorias,ſed ad amicos,vel conſanguineos, vel ad ea hoſpitia diuertant, quæ pro numero clericorum à Nobis Deputati paranda curauerint; itaque ibi piè ſe gerant,vt cuius rei gratia venerint omnes intelligant. Et,vt rem ſacram ſacerdotes opportunè matutinis horis celebrare poſſint, prouideatur.

Initium Synodi fiet à ſupplicatione publica, quæ per vrbem agatur, cui ſæcularis,

regu-

regularisque clerus intersit. Ea peracta missæ sacrificium solemni ritu fiet. Breuem deinde concionem de rebus ad Synodum pertinentibus audient omnes, indictoque silentio reliqua transigentur: sessionum numerus ad rerum agendarum multitudinem, & copiam definietur: omnibus denique absolutis, dimisso conuentu, surgẽte Ordinario surgant, enixeque Deum rogent, vt quæcumque sunt decreta accuratè seruentur.

CAPVT XIII.

De Examinatoribus Synodalibus.

SIngulis annis in Synodo celebrãda Examinatores Synodales, iuxta sacri concil. Trid. decreta, proponentur, quorum munus erit omnes ad beneficia, vel munia ecclesiastica promouendos examinatos vel approbare, vel reprobare: qua in re omni affectu, vel humano timore post habito solum ecclesiæ bonum, & Dei honorem spectare debẽt.

Electi omnes ad tale munus iuramento confirmabunt in examinando nullo vnquã affectu ducendos, neque donaria ylla ratione examinis admissuros.

Examinatores verò à Nobis propositi, & probati in præsenti Synodo sunt.

DOminus Ioannes Antonius Gelosus S.T.& V.I.D. Protonotarius Apostolicus, Cantor Ecclesiæ Metropolitanæ Felicis Vrbis Panormi prima Dignitas post Põtificalem, Abbas Sancti Nicolai lo Reale Ciuitat. Mazzariæ, Vicarius Generalis.

Pater Angelus Capranica Societatis Iesu, Visitator Generalis, & Nobis à Confessionibus, & Theologus.

Pater Don Honorius à Venafro Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis, Gubernator, & Locumtenens Generalis.

Pater Mattheus Moruelli clericorum ministrantium infirmis, Visitator Generalis.

Don

Don Petrus Roncione S. T. D. Protonotarius Apostolicus, Decanus præsentatus Eccles. Insignis Collegiatæ Sanctissimi Saluatoris, Pro Vicarius Generalis.

Fr. Augustinus à Panormo Ordin. Erem. Sancti August. Vic. Prouincialis suæ Congregationis Centum Vrbium.

Don Franciscus Rappa S. T. D. Cantor Eccles. Insignis Collegiatæ.

Don Hieronymus Sancti Canonicus Ecclesiæ Metrop. Pœnitentiarius.

Don Franciscus Fusca S. T. D. Canonicus Insignis Collegiatæ.

Don Ioseph Duns S. T. D. Canon. Theologus Insignis Collegiatæ.

Pater Don Guilelmus à Panormo Ordin. Sancti Benedicti Congreg. Cassinensis Magister nouitiorum.

Pater Vincentius Tancredi Societatis Iesu Theologus.



CAPVT XIV.

De Testibus Synodalibus.

TEstes Synodales ex veteri consuetudine à sacris Lateranensis concilij decretis tracta, ad morum reformationem, & ecclesiasticam disciplinam vbique seruandam, eligere etiam opere pretium duximus.

An decreta Synodalia seruentur peruestigare accuratè debent: quæ sint clericorum in ecclesiastica disciplina, bonisq; moribus progressiones: quam sedulam diuinis officijs obeundis, sacrisque ritibus addiscendis operam nauent. quantoq; cum fructu Christianæ doctrinæ curam, negociumque suscipiant: quo studio pro salute animarum Parochi excubent: qua diligentia, & charitate Sacramenta poscentibus administrent: quàm frequenter Dei verbo populum pascant. Quàm sollicitè eumdem veræ fidei rudimentis instituant. vtrũ residendi muneri satisfaciant: an honestatis, & modestiæ omnibus in rebus studiosi sint;

ſint;qui ſit eccleſiarum præcipuè curatarum ſtatus:an illas reſarciri oporteat: an,vt decet, debitus Deo cultus in ipſis exhibeatur, &c. Vtrum dies feſti religiosè colantur: ſi quæ grauiora flagitia admittantur, ea ad Ordinarium, etiam certis indicijs comprobata, referre debent. Perquirere etiam, diligenter ipſorum curæ ſit, vtrum vltimæ voluntates teſtatorum ad legata, & vſus pios executionem habuerint: & quomodo Adminiſtratores bonorum eccleſiaſticorum ſuo muneri ſatisfaciant.

Quæ omnia, vt liberiùs adimplere valeant,formam iuramenti ab ipſis electis nuncupandam, & ab Eutichiano Pontifice conſtitutam proponemus.

Ego N. N. Teſtis Synodalis ab Eminentiſſimo Domino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Montalto Archiepiſcopo, & Abbate nominatus promitto, ſpondeo, & iuro, quod à modò in antea quidquid noui, & audiui,aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem in Parochia mihi commiſſa factum ſit,aut futurum erit, ſi in diebus meis euene-

rit, tantum vt ad meam cognitionem quocumque modo perueniat, si sciuero, aut mihi fuerit indicatum Synodalem causam esse, & ad ministerium Archiepiscopi pertinere, quod ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam vllatenus celabo Archiepiscopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque me de hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

In Ciuitate Montis Regalis Testes Synodales erunt.

DON Gregorius Siragusa S.T. & V.I.D. Parochus Ecclesiæ Metropolitanæ Archipresbyter nuncupatus.

Don Marianus Marullo S. T. D. Canonicus Iurista Ecclesiæ Insignis Collegiatæ Sanctissimi Saluatoris.

In

In Diœcesi.

Pro Ciuitate Corilionis.

Don Marcus Antonius Rizzo.
Don Ioseph Zumbardo.

Pro Terra Bisaquini.

Don Franciscus Bona.
Don Franciscus Manciuni.

Pro Terra Planæ.

Don Filippus Stasi.
Don Vitus Carnesi.

Pro Terra Brontis.

Don Antoninus Fatio.
Don Bartholomeus la Vellina.

Pro Oppido Parci.

Don Iacobus la Dolcetta.

CAPVT XV.

De Iudicibus ad causas delegatis.

CVM ex Bonifacij VIII. Constitutione Iudices ad causas delegati ij diligendi tãtum sint, qui aliqua dignitate ecclesiastica, vel auctoritate, & doctrina præfulgeant; in hac Synodo, decretis concilij Tridentini inhærentes, nomina Iudicum exponimus, illos pro nostra Pastorali cura monentes, vt causas omnes pro iustitia definiant, litigãtiũ moras obrumpant, & maturè, quantum fieri possit, expediant.

Iudices ad causas delegati.

DON Ioannes Antonius Gelosus S. T. & V.I.D. Protonotarius Apostolicus Cantor Ecclesiæ Metropolitanæ Felicis Vrbis Panormi prima Dignitas post Pontificalem Abbas Sancti Nicolai lo Reale Ciuitatis Mazzariæ Vicarius Generalis.

Don Petrus Roncione S.T.D. Protonotarius

rius Apostolicus, Decanus presẽtatus Ecclesiæ Insignis Collegiatæ Santissimi Saluatoris, Pro Vicarius Generalis.

Don Petrus Collaro S.T.D. Protonotarius Apostolicus, Canonicus, & Parochus Ecclesiæ Metropolitanæ.

Don Ioseph Puccio Decretorum Doctor, Thesaurarius Ecclesiæ Collegiatę.

Don Antonius Peggino Protonotarius Apostolicus, Canonicus Theologus Ecclesiæ Metropolitanæ.

Don Simon de Hieronymo S.T.D. Protonotarius Apostolicus, Archipresbyter Ecclesiæ Corilionensis.

CAPVT XVI.

Pro recipiendis, & obseruandis decretis Synodalibus.

NVllam in hisce nostris Synodalibus cõstitutionibus pœnam constitutam decreuimus, quia delinquentes arbitrarijs po-

tius pœnis iuxta delicti grauitatem, & personarum qualitatem puniendos censuimus.

Districtè proinde præcipimus, & mandamus, vt quas constitutiones pro diuini cultus augmento in hoc Synodali conuentu promulgari fecimus, accuratè, atque diligenter omnes obseruare nitatur: si quæ verò difficultas, vel dubium oriatur, Nostrum omnino erit decidere.

Et quia omnia tum in præsenti, tum in præcedentibus sessionibus à Vobis omnibus fuerũt per verbum, Placet, approbata, recepta, & commendata, Nos etiam pro nostra auctoritate confirmamus, & approbamus; ita tamen, vt Sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio omnia, & singula decreta subijciamus. Quorum ignorantia vt neminem excusare possit, mandamus, vt in Ecclesiæ nostrę Cathedralis valuis ad nouem continuos dies affixa sint, & post dictum tempus illa vim legis habere volumus, ita vt inobedientes, cuiuscumq; sint conditionis, pœnis in illis contentis, vel arbitrarijs teneantur.

Acta sunt hæc, & definita in plena Synodo diœcesana in Ecclesia Cathedrali Metro-

poli-

politana Montis Regalis in loco consueto die 28. 29. & 30. mensis Aprilis quintæ *Indictionis* Anno millesimo sexcētissimo quinquagesimo secundo.

APPROBATIO

Sanctæ Apostolicæ Sedis,

Et Sacræ Congregationis Eminentissimorū Dominorum Cardinalium Sacro Concilio Tridentino interpretando Præpositæ.

NOS Petrus Aloysius Sancti Martini in Mōtibus S.R.E. Presbyter Cardinalis Carafa nomine Sacrę Cōgregationis Eminētissimorum, & *R*euerendissimorum D. D. Cardinalium sacro Concilio Tridentino interpretādo, & muneri Visitationis sacrorum liminū Prepositę, Fidem facimus, & attestamur Eminentissimum, & Reuerendissimum D. Franciscum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Montaltum Archiepiscopum Montis Regalis sacra Beatorum Apostolorum limina pro xxiij. triennio per se ipsum visitasse, & statum Ecclesiæ Montis Regalis

retulisse eisdem Eminētissimis Patribus, qualem ab antiqua eius pietate, & perspecta diù sollicitudine Eminentiæ Suę prestolabātur, habuerunt etenim, vnde illam singularibus laudibus efferant, ob habitam personalem Diœcesis Visitationem cum sacramentorum administratione; ob celebratam DIOECESANAM SYNODVM, cuius decreta Emin. Patres perlecta omnibus numeris obsoluta inuenerūt,& singulari cōmēdatione digna censuerunt; ob fulcitum plūbeis laminis tectum Metropolitanæ Ecclesiæ,eamque paramentis, & alijs ad decorem diuini cultus instructam;ob reformatā clausuram Monasteriorum Monialium,& redditum eorūdē administrationem; ob auctum Alumnis Seminarium; ob Montem Pietatis bonæ administrationi restitutum; ob reformatos abusus, qui circa piarum voluntatum executionem, & celebrationem Missarum, atque exercitium Sacramenti Pœnitētiæ irrepserant; ob restauratum Episcopale Palatium;ob conseruatam Panormi Archiepiscopalem iurisdictionem; & ob alia Pastoralia munia egregiè præstita; quæ quidem præcla-

clara Paſtoralis religionis opera cauſam Eccleſiæ ſuę per multa ſæcula optabilem reddidere: Quapropter, cum nullus admonitionis locus ſit relictus, id tantum Eminentiæ Veſtræ indicandum Eminētiſſimi Patres cēſuerunt,vt ſcilicet animaduertat,num vnicus Baptiſmalis fons in Metropolitana Eccleſia neceſſitatibus totius populi ſit ſufficiens?

Vt in eadem Metropolitana Eccleſia nihil innouari circa ſepulturas ob immemorabilem conſuetudinem permittat, ſed potius cœmeterium comparari faciat,in quo libera pateat eligētibus ſepultura, iuxta ſacrorum Canonum inſtitutionem.

Quodq. eleemoſynę pro miſſis oblatę fideli adnotatione conſcribi, & iniunctæ à fidelibus celebrationes diſtrictè ſtudeat impleri.

Hæc,& maiora de Eminentię Veſtræ zelo, & vigilantia Eminentiſſimi Patres ſibi pollicentur; quæ & perſonali Verbi Dei prædicatione, verbo, & exemplo gregem ſuum paſcens, non ipſius tantùm forma factus eſt gregis,ſed etiam circumpoſitis Eccleſijs imitādum exemplum pręſe tulit; de quo quidem Apoſtolica Sedes ſummoperè gaudet,

det, immortales Altissimo gratias referens, quod tantę Ecclesię diuturnę vacationis incommodis vndequaque laboranti tantum voluerit pręesse Pastorem, cui ad vniuersalis, & particularis Ecclesię beneficium malorum in dies charismatum ab Omnipotēti Deo plenissimam optat abundantiam: *In* quorum fidem pręsentes eiusdem Sacrę Cōgregationis nomine dedimus sigillo, & manu nostris, nec non Secretarij Congregationis prædictę munitas. Datum Romę die 29. Martij 1653.

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.

Franciscus Paulutius S.C.C. Secretarius.

Exeq. in Regno in Vrbe Felici Panormi die 8. Aug. 1653.

Die

Die IV. Iunij VI. Ind. 1653.

POST prædictam approbationem iterum fuerunt hæc decreta Synodalia in valuis ianuæ Ecclesiæ Metropolitanæ Montis Regalensis apposita, & affixa à prima hora ortus solis vsque ad noctem, per triduū, mā dans Eminentia Sua, vt prorogetur terminus aliàs præfixus exequutioni dictæ Synodi ad alium mensem ab hodie deinceps cursurum. Præsentibus pro testibus S. T. D. D. Petro Collaro, & D. Ioanne Antonio Talamanca Canonicis, & Parochis Metropolitanæ Eccl. nec non D. Frācisco Romano, V. I. D. D. Mariano Marullo, D. Frācisco Marsiglione, & D. Thoma lo Re Canonicis insignis Collegiatę, & Notario Thoma Catalano.

Vnde de mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Montalto Archiepiscopi factus est præsens actus hodie, die, quo supra.

De mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Montalto Archiepiscopi.

Faanciscus Seggio Magist. Notarius Synodalis.

MONTE REGALI,

Ex Typographia Petri Isola Impress. Cameral. 1653.

Imprim.
Abb. Gelosus V. G.

Imprim.
R. D. Petr. de Greg. P.

INDEX
SESSIONVM,
& Capitum, quæ in hac Diœcesana Synodo continentur.

SESSIO PRIMA.

SESSIO II.

De Sacramentis.

SESSIO III.

De Sacrosanctis Ecclesijs, eorumque cultu.


De

SESSIO IV.

De Regularibus, & sanctimonialibus.

SESSIO V.

IN-



INDEX

RERVM, QVÆ in hac Synodo continentur.

A

Ab.

B

Blas-

Cor-

D

E

Eu-

Exa-

Fe.

F

Fi-

H

I

*I*ma:

L

Ma-

M

legia-

Col-

Mo-

Mo-

N

O

Ora.

Pro-

R

tis

In

S

Sy-

T

Ve-

V

FINIS.





